noceant in iſtis temporalibus rebus, ſive quas adipiſci ad- A huc appetit eorum cupiditas: ſive quas amittere formidat infirmitas: tum ut quemadmodum afflictus eſt Job, ſibi ipſe humanus animus ſit probatus, & cognitus quanta virtute pietatis gratis Deum diligat. *Eſt Deus cum juſtis in tribulatione* a, ipſaque præſentia ſua cenſetur educere ipſos de illa, propter conſolationem per modum *venti in medio fornacis* b: ita ut *in omni tribulatione non tribulentur, quia Angelus faciei ejus ſalvat eos in dilectione ſua, & in indulgentia ſua ipſe redimit eos, & portat eos, & elevat eos cunctis diebus ſæculi* c: quem locum Hieronymus, ut nunc extat, & recitatus eſt, de Deo uti vere eſt, exponit, quod non ſit tribulatus, ut parumper eos deſereret, & nudatos auxilio cogeret ad rogandum. Sed aliter legens abſque negatione declarat, quod ſit tribulatus, ideſt, eamdem veluti paſſus tribulationem, & compaſſus tamquam populo, & filiis ſuis. Poſtremo juxta lectionem aliam: *non tribulavit eos*: declarat, quoniam ceteris perſequentibus adjutor fuit, miſitque Angelum ſuum, qui eos, de periculo liberaret. Addit & ſecundùm translationem L X X. *& factus eis in ſalutem ex omni tribulatione eorum*: B *non legatus, neque Angelus*: ſed *ipſe ſalvavit eos*: *quod diligeret illos, & parceret eis*; *ipſe redemit eos & ſuſcepit illos, & exaltavit omnibus ſæculi*; ſenſum eſſe quod non per Angelos, & Prophetas, & alios ſanctos viros ſalvare noluit populũ ſuum: verum ipſe deſcendit ad oves perditas domus Iſrael, ut ovem morbidã ſuis humeris reportaret & drachmas, quæ perierat, inveniret, & luxurioſo filio revertendi lætus occurreret d: denique *oſcularetur oſculis oris ſuis* e; corpus noſtrum aſſumeret, in noſtra carne verſaretur, Verbum caro fieret, & eſſet Emmanuel. Hic optimus modus educendi nos, & animas noſtras de maxima tribulatione. Gregorius, nullam, ait eſſe majorem tribulationem, moleſtiam, afflictionem, quam conſcientiam delictorum; in ſolo Deo vero eſſe conſolationem, qui ab ea eripiat, in hujus maris magni, & ſpatioſi naufragio Dei amplectendam ſapientiam, cujus gubernemur præſidio, regimine deducamur: & velut *lignum vitæ* f *illam apprehendamus*, ac lignum ſalutis in pelago procelloſæ tempeſtatis, per quod poſſimus & à periculo horrendæ mortis eripi, & de tribulatione diabolicarum tentationum edu- C ci. Ceterum perfectam iſtam liberationem, & eductionem Innocentius futuram aſſerit, quando *educetur de carcere*, ſive *de cuſtodia anima noſtra* g, & *infelices nos liberabimur de corpore mortis hujus* h. Interim tribulatio purgat nos, nos peccatorum venenum expellendo, & pœnæ debitum ſolvendo. Adhibet Ayguanus exemplum fulminis, quod, teſte Alberto *i*, ab animalibus venenoſis venenum abigit; ſed ſimul cum vita, quum Deus vivificet animam juſti per tribulationem, *diſperdens inimicos eius*, *ac perdens omnes, qui tribulant animam illius*, prout in ſequentibus continetur. Agendæ ſummæ gratiæ Deo pro præſentis tribulationis diſciplina. Hoc eſt *apprehendere diſciplinam* k: & ut alii transferunt, *oſculari Filium, & adorare pure*, Paludanus citatus à Pepino explicat de Chriſto, quaſi oret, educi de inferno animam ſuam, non quod ibi tribulationem paſſa ſit, ſed quia locus erat, in quo aliæ animæ tribulabantur; videlicet quoniam neceſſario detinebantur, & Dei carebant viſione: per *diſperdendos* autem *inimicos*, intelligit dæmones, cuſtodes ſepulchri Judæos; quoniam *principi mundi cum ſuis eiectus eſt foras* l; D ne poſſideat idola, ne obſideat homines; Judæos Romani diſperdiderunt, ac diſperſerunt: Judas *crepuit medius* m; *exterriti* ſepulchri *cuſtodes, factique veluti mortui* n. Idem Pepinus applicat ſententiam, & orationem ad quoslibet juſtos, qui erant in limbo privati Dei viſione, & iis videbantur, inquit, dæmones inſultare, quod fruſtra liberatorem Chriſtum expectarent. Præterea eadem oratione utentem, inducit peccatorem cupientem a peccato liberari: juſtum deſiderantem eripi à multiplici miſeria, & tentatione; exiſtentem in purgatorio, geſtientem ingredi ad viſionem Dei, & erui ab igne, ac à detentione illius carceris. Cavendus porro hic idem error, quem in ſimili ſententia pſalmi præcedentis *o*, *educ de cuſtodia animam*, refellimus, quod anima immiſſa ſit, quum prius extitiſſet, ac peccaviſſet in corpus tamquam in carcerem, & locum ſupplicii, atque tribulationis. Quum nondum nati, fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali, Deus *Eſau odio habuit*, & *Jacob dilexit* p. Non ergo juſtorum animæ prius erant, vel prius quidquam egerant; Eadem vero ratio de aliis quibuſcumque.

a Pſ. 90.15.
b Dan. 3.50
c Eſa. 63.9
d Luc. 15.20
e Cant. 2.1.
Conſcientia delictorum tribulatio maxima.
f Prov. 3.18
g Pſ. 141.1
h Rom. 7.24
i in 3. meteor.
k Pſ. 2.21
l Jon. 12.30
m Act. 1.18.
n Matt. 28.
Error aſſeſentium animas prius exiſtere quam corpora, refellitur.
o verſ. ult.
p Rom. 9.11. 12.13

Verſ. 12.) Et in miſericordia tua diſperdes inimicos meos.

Et perdes omnes, qui tribulant animam meam, quoniam ego ſervus tuus ſum.

VIvificatio, ſive vitæ conſervatio, & à morte præſervatio, atq; à tribulatione liberatio perfecta non poteſt conſiſtere, niſi hoſtes, ac perſecutores miſericordia ſua ſingulari erga illum, quem talibus beneficiis dignetur Deus afficere, penitus perdat, & conſumat. Hoc autem certo ſibi pollicetur, quoniam ſervus Dei ſit, ejuſq; cultui, ac religioni totus addictus: illi autem hac ipſa de cauſſa ipſum odio proſequantur, & quantum poſſunt, perſequantur, averſantes, & execrantes omne obſequium, quod adhibeatur Deo. Itaq; ſervitutem ſuam erga Deum commemorat David, ut rationem, cur exaudiri debeat, quemadmodum fecerat ſub initium pſalmi *q*; quoniam deceat Deum ſervi ſui curam, & providentiam habere: vel quoniam tantæ perſecutionis in ſe commotæ cauſa ſit impietas hominum, cui odio ſit Deus ipſe, & quotquot ſe ſtudioſos ipſius cultores profitentur. Primum pluribus placet, ut ſuammet virtutem proferat Propheta, tamquam cauſſã, cur exaudiri poſcat. Neque enim, ait Chryſoſt. poſſumus purè, & abſolutè noſtra poſtulata conſequi; ſed oportet nos ita præparare, ut ſimus digni, qui poſtulata conſequamur, & quæ noſtra ſunt conferre, & ita accedere. Id autem confirmat, quia Judæi non exaudiebantur, etiamſi multiplicarent orationes *r*; nec exaudiebatur pro illis Jeremias *ſ*: nec erãt exaudiendi pro iiſdem Noe, & Jacob *t*. At juſtum eſt, inquit Gregorius, ut bonus ſervus à bono Domino adiuvetur, contra hoſtiles muniatur incurſus, à periculo liberetur. Exponit autem effectum iſtius ſive orationis, ſive prædictionis, in felicitate illi futurum, in qua nullum habebimus adverſarium, nullum metuemus inimicum; nulla eris diabolicæ fraudis impugnatio, nullum hæreticæ pravitatis dogma, nulla infidelis populi impietas. Arnobius, Caſſiodorus, Innocentius, Hugo, Folengius videntur ſequi alterum ſenſum, quo ſignificantur improbi animam juſti tribulare, quia ſervit Deo. Senſu literali ſucceſſit, quod oravit, & prædixit David, quoniam perierunt inimici, ac perſecutores illius, Saul, Achitophel, Abſalon, Seba: ſecundum allegoriam idem contigit Chriſti inimicis, & perſecutoribus *viditque ultionem ex eis* u, nimirum ex Juda, Herode, Pilato, ſummis Sacerdotibus, aliis Judæis. *Facit* præterea *Deus vindictam electorum ſuorum clamantium ad ſe die, ac nocte* x, *ſanguinem filiorum ſuorum ulciſcitur, & vindictam retribuit in hoſtes eorum* y; *facit judicium inopis, & vindictam pauperum* z. Noti nimium capitales inimici, mundus, caro, dæmon; ſollicitantes ad avaritiam, luxuriam, ſuperbiam: ipſæ quoquæ quotidianæ corporis neceſſitates variis nos modis premunt, vexantque: ſuper omnes autem ipſamet peccata, de quibus Bruno exponit, ut etiam inimicos tribulantes animam, pravas ſuggeſtiones, & malignos homines, qui volunt ad peccata inducere.

Et in miſericordia tua diſperdes inimicos meos. (Hieron. *diſſipabis* Alii, *& propter miſericordiam tuam, diſperdas, diſſipet, conficias, ſubvertas hoſtes meos odientes me*, &c. ſignificat תשמית *thaſmith excidere, ſive ſuccidere facies*, aut *conſtringere, & quidem in carcere*: item *cõſumere, tabeſcere, perſequi, interficere*, ut nos docuerunt priorum pſalmorum loci non pauci. Propter miſericordiæ mentionem Caſſiod. explicat, *diſperdi inimicos*, quando compunctionis ſtudio ab ſceleratis cogitationibus abſtrahuntur, & pœnas debitas remedio ſupplicationis evadunt. Innocentius idem docet, ut fiãt de inimicis amici, vertatq; impios Deus, & non ſint *a*. Rickelius præterea conſentit, ut convertat Deus illos, & deſtruat in eis non naturam, ſed culpam. Quo pacto prædictionem de Ninive ſubvertenda *b*, impletã dicunt, quia eſt converſa. Adhuc miſericordiam attendit reſpectu eorumdem, ſi forte damnentur, ut puniantur citra condignum. Sed alius communior, & melior ſenſus, quem idem Auctor etiam tradit, ut miſericordia ſpectet ad eum, cujus inimici diſperdantur; & quod ait Chryſoſtomus non ſuam dignitatem, vel merita Propheta producat, ſed clementiam, & benignitatem Dei. Poſſent ut ſynonyma ſumi *miſericordia*, & *æquitas* præcedentis verſus: quemadmodum in principio pſalmi *veritas*, & *juſtitia*: quæ duo Dei attributa ſæpe numero conjungi præſertim in pſalmis annotavimus. Tunc inimicos

Senſus loci.
q verſ. 1
r Eſa. 1.15
ſ cap. 7.16
t Ezech. 14. 14
Allegoria.
u Jer. 11.20
x Luc. 18.8
y Deut. 32. 43
z Pſ. 139.13
a Prov. 12.7
Quo pacto prædictio de Ninive ſubvertenda intelligatur eſſe completa.
b Jon. 3.4

cos noſtros clementia divina diſperdit, inquit Gregor. A quum eis vires nocendi adimit: quum adverſus jacula tentationis diabolicæ ſcutum opponit ſuæ protectionis. Quaſi enim confuſi abſcedunt, quum ſe ad prævalendum potentes agnoſcunt.

Et perdes omnes qui tribulant animam meam.) Hieronymus, *omnes ligantes animam meã*: quamvis Trevetus legat; *omnes tribulantes*. Alii, *hoſtes animæ meæ*; *qui contriſtant*, vel *affligunt animam meam*, *anguſtatores animæ meæ*. Omnia ſignificari poſſunt per צררי נפשי *torere naphſci*. Qui deſperdendos inimicos accipiebant in bono ſenſu Caſſiodorus & Innocentius perdendos hic in deteriorem partem ſumunt, videlicet obſtinatos, & reprobos tum homines, tum dæmones. Non leves ſibi eſſe inimicos Propheta demonſtrat, inquit Hilarius: ſed eos qui etiam animam perſequantur: non quod cum corpore poſſit occidi, ſed quod ita diabolicis infeſtationibus fatigetur, & ſub injectorum ſibi vitiorum incentivis arguatur, ut à Deo mereatur occidi. Hac ratione intelligere poſſumus, mortale peccatum dici non tantum, quia eripit animæ vitam gratiæ, & ream facit mortis æternæ, B ſed etiam quia dignam reddit, quam Deus occidat, ideſt, in nihilum redigat. Quod non facit Deus, ut permanenti ſupplicii experientia in immortali anima, extet ſemper præſens perpetuumque divine juſtitiæ documentum. Humanus judex capitali ſententia damnans privat, quantum in ſe eſt, in perpetuum vita, & ſi poſſet animam ipſam extinguere, id etiam faceret, contentus ea pœna mortis, ſive anima cum corpore intereat, ſive non intereat, ut vera non interit.

Quoniam ego ſervus tuus ſum.) Injuria ſervi, Domini eſt: injuria afficior non ſolum ego, qui ſervus tuus, ſed & propterea quia talis ſum. De duplici hoc ſenſu antea egimus. Non aliunde inimicos habemus, ait, juxta ſecundũ Arnob. nec pro quibuſcumq; terrenis adverſarios, ſed ideo inimicitiis dæmonum, aut hominum laboramus, quoniam ſervi eſſe Domini ſtudemus. Caſſiodor. docet, quod ideo David, aliuſve, cujus is perſonam induat, dicit inimicos tribulaſſe animam ſuam, quia ipſe in Dei ſervitio permanebat, & tales animos aſſumſiſſe, ut innocentes viros ideo perſequerentur, quia Dei famulos eſſe cognoſcebant. Eſt & hoc grave peccatum, inquit Innocentius, propterea perſequi aliquem, quoniam ſervit C Deo. Huc procedit aliquando plane diabolica quorumdam hominum malitia, ut bellum indicant ipſimet pietati, quam probe cognoſcunt, & ex animi certa deſtinatione adverſentur Deo, ac ſervis, & ocultoribus ejus; his vero maxime, ac immediate, quia fruſtra niti ſe ſciunt adverſus Deum. Tritum pantheræ à Baſilio *a*, traditum exemplum, quæ naturalem habet adverſus hominem iram, & ſolet vel maxime in oculos inſilire: capitur autem oſtentando illi hominis imaginem in charta, quoniam illa nimio impetu autumans eſſe hominem, chartam veluti hominem concerpit; ad eumdem enim modum dæmonem in imagine quo ſit in Deum odio oſtendere, quum ipſum Deum attingere nequeat. Delectatur hoc ſervi Dei elogio David, ſæpiuſque id repetit, ut vidimus, intelligens de ſervitute fundata non *timore*, *ac ſpiritu ſervitutis*, *ſed in ſpiritu adoptionis filiorum Dei* b atque *in timore ſancto*, *qui permanet in ſæculum ſæculi* c, & qui convenit ſervo, cui dicitur, *euge* d, *ſerve bone & fidelis*, *intra gaudium Domini tui*. Servitus peccati, & dæmonis mala eſt; hominis, indifferens, legis imperfe- D cta; Dei partim imperfecta, partim perfecta. Titulis multis addicti, & devincti ſumus Dei ſervituti, præſertim creationis, & gubernationis, redemptionis, & conventionis, retributionis, ac mercedis æterne. Digna Gregorii oratio hìc ab ipſo in fine recitata & appoſita, quam & ipſi recitemus & apponamus, quum contineat ſummam Pſalmi totius.

Bone Jeſu, Verbum Patris, ſplendor paternæ gloriæ, in quem deſiderant Angeli proſpicere; *doce me facere voluntatem tuam*, ut à Spiritu tuo bono deductus ad beatam illam perveniam civitatem; ubi eſt dies æternus, & unus omnium ſpiritui, ubi eſt certa ſecuritas, & ſecura æternitas, & æterna tranquillitas, & tranquilla felicitas, & felix ſuavitas, & ſuavis jucunditas, ubi tu Deus cum Patre, & Spiritu ſancto vivis, & regnas per infinita ſeculorum ſæcula, Amen.

Peccatum cur dicatur mortale.
a orat. 10 de invidia, & odio.
Diaboli cũ panthera collatio.
b Rom. 8.15
c Pſ. 18. 10
d Matt. 25. 21. 23
Gregorii oratio in fine hujus pſ. recitata.

PSALMUS

CENTESIMUS QUADRAGESIMUS TERTIUS.

Pſalmus David.

1. Adverſus Goliath.

BEnedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.

2. Miſericordia mea, & refugium meum: ſuſceptor meus, & liberator meus.

Protector meus, & in ipſo ſperavi: qui ſubdit populum meum ſub me.

3. Domine quid eſt homo, quia innotuiſti ei? aut filius hominis, quia reputas eum?

4. Homo vanitati ſimilis factus eſt: dies ejus ſicut umbra prætereunt.

5. Domine, inclina celos tuos, & deſcende: tange montes, & fumigabunt.

6. Fulgura coruſcationem, & diſſipabis eos: emitte ſagittas tuas, & conturbabis eos.

7. Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis: de manu filiorum alienorum,

8. Quorum os loquutum eſt vanitatem: & dextera eorum, dextera iniquitatis.

9. Deus, canticum novum cantabo tibi: in Pſalterio, dechachordo pſallam tibi.

10. Qui das ſalutem Regibus, qui redemiſti David ſervum tuum de gladio maligno. 11. eripe me,

Et erue me de manu filiorum alienorum, quorum os loquutum eſt vanitatem, & dextera eorum, dextera iniquitatis.

12. Quorum filii, ſicut novellæ plantationes in juventute ſua.

Filiæ eorum compoſitæ, circumornatæ ut ſimilitudo templi.

13. Promtuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud.

Oves eorum fœtoſæ, abundantes in egreſſibus ſuis: 14 boves eorum craſſæ.

Non eſt ruina maceriæ, neque tranſitus, neque clamor in plateis eorum.

15. Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt, beatus populus, cujus Dominus Deus ejus.

Titulus & Argumentum.

Pſalmus David.

Verſ. 1.) Adveſus Goliath.
Benedictus Dominus, &c.

IN textu Hebræo ſolum erat לדוד *le David*. *Davidis*, ſeu *Davidi*, ſeu *ipſi Davidi*, ut legit Auguſt. cum Græco textu, τῷ Δαυὶδ, abſq; nomine *Pſalmi*, vel *Goliath*. Teſtatur vero Theodor. inveniſſe ſe quidem in aliquibus exemplaribus inſcriptioni additum πρὸς τὸν Γολιάθ, *ad Goliath*; quo pacto nunc etiam extat in Bibliis Complutenſibus, Regiis, & aliis, ſicque Latinè legitur ab Auguſtino, Remigio, vetere Pſalterio, quod in aliis Pſalteriis Latinis, ac in multis Enarratoribus, *ad Goliam*, ſeu *Goliath*: ab Hilario autem, *in Goliam*. Sed neque apud Hebræum, neque apud alios Interpretes, neque apud LXX. in hexaplo. Euthymius præterea ſcri-

Titulus.

cribit, quædam exemplaria non habere, nihil tamen impedimento eſſe, quin verba illa adeſſe poſſunt. Hilar. Auctores tituli facit ipſos LXX, quum neq; in Hebraicis libris reperiatur, neque Tranſlatores alii quidquam aliud, quam ſimplicem titulum præſcripſerint, ideſt, *David*. Quiſquis hunc titulum adſcripſerit, (credi autē potius debet Hilario, qui ſequutus eſt Origenem in explanatione Pſalmorum, teſte Hieron. *a*.) auctoritatem apud nos habere debet, propter approbationem Patrum, omniumque Enarratorum Catholicorum, præcipue Latinorum, & quia cum titulis pſalmi, ut nunc ſunt, in emendatis Bibliis Sixti, & Clementis recepti ſunt. Parum porro refert, quo pacto proferas, aut *Goliam*, aut *Goliath*, aut *Goliad*: ſecunda tamen ſcribendi ratio conſentanea eſt Hebræo nomini, ſive ut Hebraicè ſcribitur, גלית *Goliath*. Pugna Davidis cum iſto gigante deſcribitur in primo Regum libro *b*, quemadmodum videlicet parvæ adhuc ætatis, gregique cuſtodiendo aſſuetus, lapide ex funda jacto ſtraverit: ejuſdemmet illius gladio caput ei obtruncaverit. Inter laudes Davidis hanc etiam ex præcipuis recitat Auctor Eccleſiaſtici *c*, narrans quod *invocavit Dominum omnipotentem, & dedit in dextera ejus tollere* B *hominem fortem in bello, & exaltare cornu gentis ſuæ*. Judas quoq; Machabæus hoc exemplo animatus adverſus exercitum virorum electorum ſexaginta millium, & equitum quinq; millium, non dubitavit inire certamen cum ſolis decem millibus virorum, ſic Deum orans, *Benedictus es Salvator Iſrael qui contriviſti impetum potentis in manu ſervi tui David d*. Hinc poteſt elici Pſalmi argumentum, ut ſit actio gratiarum, quemadmodum nominatim Euthymius, & Nicephorus docent; poſt trophæum illud de gigante reportatum, & poſt multas alias victorias ante obtentum regnum potius, & adhuc Saule vivente, quam poſtea, quamvis nonnullam hic Pſalmus habeat cum 17. ſimilitudinem, in quo gratiæ aguntur Deo quod eripuiſſet Davidem de manu omnium inimicorum, præſertim Saulis. Eadem cenſeri poſſet forma gratiarum actionis pro aliis victoriis, quas etiam longe poſtea futuras hìc prædicit, nempè quæ à populo ex Babylone reverſo reportatæ ſunt, cùm variæ occaſiones occurriſſent. Theod. arbitratur, & alius anonymus Græcus ab Agellio citatus. Quod equidem concedo, ſed non ita, ut is per ſe, vel tantum ſit littera is ſenſus; quod Agellius vult. Te- C ſtatur Lyran. & alii, Hieron. in prologo Pſalmor. plane ſentire, Pſalmum eſſe de victoria ex Goliath. In ſecundo libro Regum *e*, narratur Goliath Gethæus percuſſus ab Adeodato filio Saltus, quem oportet alium fuiſſe ab iſto, quem David occidit; quamvis alioqui conentur probare eumdem fuiſſe. Sed myſticè convenit Pſal. victoriæ Chriſti adverſus diabolum, ut Hilario placet: vel Eccleſiæ, ut Auguſt. vel cujuſq; noſtrum, ut Euthym. Quamquam Hilar. negare videatur, poſſe litteraliter de Golia Pſalmum intelligi, ſed tantùm de Chriſto: quod & non improbabilibus argumentis probat, quibus reſponſio cōnabit ex ipſius Pſalmi declaratione. De typi applicatione ad prototypum Chriſtum, agit hoc loco Auguſt. & alii, ac præterea qui enarrant hiſtoriam Regum: iterum Auguſt. in ſermonibus *f*, & Bernardus *g*. Sed hic per *Goliam* accipit ſuperbiæ vitium, quo non Saulis armis vincatur, ideſt, nō ſæculari ſapientia, & philoſophicis traditionibus, vel etiā divinarum ſuperficie Scripturarum, ſive occidenti littera, ſed à Davide, qui ſignificat manu fortem, ideſt, à fide, ac fiducia in Deum: & lapidibus quinq; hoc eſt, verbo comminationis, promiſſionis, dilectionis, imitationis, oratio- D nis, quæ cenſeri poſſint *quinque verba*, quæ Paulus *h*, malebat *loqui in ſenſu ſuo, quam decē millia in lingua ſua*. In funda longanimitatem conſiderat. In gladio, quo ipſemet Golias perimitur, occaſionem, quam quis humilitatis accipit ex vanitate, ut humilius deinceps, & abjectius, tamquam de ſuperbo homine ſentiat de ſeipſo. Videtur hoc loco Bonaventura Bernar. partim tranſcripſiſſe, quamvis tacito nomine. Addit, lapidem ex funda jaci, quando fortis de Eccleſia ad reſiſtendum inimicis immittitur: & illam comparari cum funda: quia volubilitate temporum, & per circuitum tribulationum ducitur. Auguſt. lapides quinque adaptat Pentateucho, ideſt, legi tranſlatę ad gratiam, tamquam in peram paſtoralē, ſeu in vas, in quo lac mulgetur gratiæ ſymbolum: & ab eo, qui gratia armatur, ſterni Goliam, hoc eſt, ſuperbiam in fronte, quia ſuperbia impudens eſt, ut & nos idcirco in fronte Crucem portemus, nempè ſignum humilitatis Chriſti. Rurſus baculum exponit de Cruce, lapidem de Chriſto, gladium Goliæ de

a de Scriptoribus Eccleſiaſticis.
b cap. 17
c cap. 47. 4. 5 6
d 1 Mach. 4 28. 29. 30
Argumentum.
e cap. 21. 19
f Serm. 107 de temp. ſer. 20. de diver
g ſer. in Dominic. 4. poſt Pentec.
h 1. Cor. 14. 19

A nequitia diaboli, per quam ipſemet victus eſt à Chriſto: arma Goliæ repoſita in tabernaculo David, nos effectos templum Chriſti, qui arma eramus diaboli. In lapidibus quinq; totidē plagas Chriſti nonnulli cōſiderant. Legatur etiā Ambr. *i*, & qui Ambr. nomen gerit Auctor in Apoc. *K* itē Gregor. *l*, Papa, & Nazianz. *m*, cum ſcoliaſte Elia; qui myſticos lapides à Nazianz. appellatos interpretans propter myſterium Trinitatis, vult, quod eſſent tres, & tamen Scriptura quinq; numerat: adhæc Paulinum *n*, Iſidorum *o*, Eucherium *p*, Angelomum *q*, qui fundam vocat Eccleſiam, quę per volumina temporum velat, in circuitu volvitur: præterea Bedam *r*, Rupertum *ſ*, qui manu portatam fundam explicat, per charitatem extenſas manus in Cruce. Poſſumus affirmare, dempta negatione, ex ſententia Job *t*, quod iſtum Behemoth qui eſt diabolus, *fugavit vir ſagittarius, nec ſtipulam verſi ſunt ei lapides fundæ*, ſed *unum lapidem infixit in fronte ejus*, *u*, ac humi ſtravit. Athanaſius monet Marcellium, ut pſalmo hoc utatur, ſi tyrannus inſurgat in populum: & non formidet, ſed fidem, ut David habeat. Ab eodem Athan. in Synopſi ſupra numerum 150. Pſalm. alius recitatur, ſed apocryphus cum titulo ſimili ei, quem hìc noſter gerit, nempè ὅτε ἐμονομάχησε πρὸς τὸν γολιάθ, *quando ſingulari certamine pugnavit David*, ac ut ita dicam, *duellavit contra Goliath*. Eumdem ipſe poſui in præfatione *x*.

i in pſ. 118. o ſerm. 18 & 29 & ſerm. 23 de communi plur. mart.
K in cap. 6
l 18 moral. cap. 11.
m orat. 1 & 4
n Epiſt. 2; ad Amand.
o in 1. Reg. 10
p in 1 Reg. cap. 18
q in 1. Reg. cap. 17
r ibid.
ſ lib. 2. in l. 1 Reg. cap. 3. 4 5. 6
t cap. 41. 19
u 1 Reg. 17 49.
x cap. 1.

Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.

GRatias agit Deo David, & laudat eum, quoniā ſingulari quodam dono peritiam cum robore conceſſerit ad expugnandum, & ſternendum Goliath, præcipue peritiā, artemq; ut nimirum prævaleret in funda, & in lapide adverſus illum *y*, ac unico ictu recta frontem feriret. Sed & roboris, ac virium fuit, adeo valde ferire, ut infigeret in fronte lapidem, atq; cadere gigantem cogeret *in faciē ſuā z*, & ut dejiceret exultatione ejus *a*, γαυρίαμα, *ſuperbiā*. Nam *invocavit Dominū omnipotentē*, ait Auctor Eccleſiaſtici *b*, *& dedit in dextera ejus tollere hominem fortem in bello, & exaltare cornu gentis ſuæ*. Fiducia quoq; & zelo divini Numinis ſe plenum proſilire in hoſtem velle David palā, aperteq; declaravit, ſimul cùm ſpe propoſiti C præmii *c*. Eadem ratione Judith armata Holofernē obtruncavit, ſuis etiam orationem indicens *d*. & quum ad rē ipſam ventum eſſet, bis flagitavit *confirmari à Domino Deo Iſrael, & ut ille reſpiceret ad opera manuū ſuarū e*, ut ipſe valide, certoq; abſcinderet hoſtis caput. Nihilominus credi poteſt exercuiſſe ſe Davidē penè à puero in jaciendis ex funda lapidibus, ut ſolebant Palæſtini: quēadmodū in jaculando, & ſagittando. Nazianz. *f*, vocat τοὺς δακτύλους εἰς παράταξιν γυμναζομένους, *digitis ad prælium exercitatum*; non ſolùm ὑπὸ τῷ θεῷ περιζωσμένον δυνάμει εἰς πόλεμον, *à Deo accinctum potentia*, ſeu *virtute ad bellum g*: quæ verba uſurpare is demum queat, inquit Elias Cretenſis *h*, qui non in humanis armis fiduciam collocat, ſed univerſā victoriā Deo adſcribit ſine funditoribus Hebræis. Septingentos memorat Scriptura *i*, ex habitatoribus Gabaa, ita ſiniſtra, ut dextra præliantes, & ſic fundis lapides ad certū jacentes, ut capillum quoq; poſſent percutere, & nequaquam in alteram partem ictus lapidis deferretur. Juſſit quoque David filios Juda doceri arcum *k*: ſub qua doctrina comprehendi poteſt, quā vocant fundibulariam. Subjiciendi præterea dicuntur lapidibus fundę D *l*, qui ad certum interitum deſtinantur: & inimicis David Abigail imprecabatur, ut *eorum anima rotaretur, quaſi in impetu, & circulo fundæ m*. Forſitan ſapiens mulier alludere voluit ad fundam Davidis, ex qua jaciens lapidē, totius populi communē inimicum cōfixerat. Fundibulariis circumdatā civitatem quamdam, & magna ex parte percuſſam conſtat *n*, & exiſſe contra ſervos Holofernis fundibularios Hebræos *o*, & in Judæ Machabæi exercitu præiviſſe cum ſagittariis *p*, fundibularios. Phęnices primos fundæ inventores Plinius *q*, facit, & Vegetius *r*, baleares Strabo *ſ*, Ætolos Pollux, hiſq; vicinos Acarnanas. Idem Vegetius *t*, funditores collocat in quinta acie abſq; ſpathis, & pillis: & Diodorus *u*, cum tribus fundis præliari ſolitos milites prodit. Propterea gladios non geſtabant funditores, qui impediebant, ne contorto in caput brachio ſaxa rectè dirigerent. Inter levia arma fundæ pugnam Onoſander *x*, vocat χαλεπωτάτην, & moleſtiſſimam, ideſt, ad nocendum præcipuā, preſertim ſi plumbei globuli, ſive glandes emittantur, quā ob conſimilem

Senſus loci.
y 1 Reg. 17 50
z ibid. 49
a Eccl. 59 5
b ibi. verſ. 6
c 1 Reg. 17 26. 34. 35. 36 37. 45. 46. 47
d Jud. 8. 33 c. 9. 2. & ſeq. ca. 12 5. 6. 7 8. cap. 13 7. 9
e cap. 13. 7. 9
f orat. 1
g Pſ. 17. 40.
h in orat. 1 Nazianzen.
i Jud. 20. 16
K 2 Reg. 1. 18
l Zach. 9. 15
m 1 Reg. 15 29
n 4 Reg. 3. 25
o Judit. 6. 8
p 1 Mach. 9
Fundæ primi inventores qui
q lib. 7. c. 56
r lib. 1. ca. 16
ſ lib. 7
t lib. 3. c. 14
u lib. 8
x in Strateg cap. 9

aeri

aeri colorem oculos fallunt, & improviſæ in hoſtes incau- A tos decidunt, eoſq; gravi lapſu vehementer affligunt. Saluſtius quoq; & Livius *a*, meminerunt. Quamquam pręſtare ſola jaculandi arte, per arcum, baliſtam, fundam, &c. non fortitudinis argumentum apud veteres fuit, ſed infirmitatis; ut noſter Lælius Biſciona demonſtrat 2. tomo horarum ſubſecivarum, quia talem exercens artem pugnat eminus, & ad fugam paratus eſt: timidus ac ignavus, non fortis & animoſus. Cognominatus eſt ab Ovidio *b*, Paris timidus, eo quod Achillem occiderit jaculo: citatis, quem dixi Sophoclem *c*, Euripidem *d*, Philoſtratum *e*, Dionem *f*, Euſtrathium *g*, ſcholiaſten Ariſtophanis *h*, atqui David noſter ſtrenuus funda, & gladio erat, & cum feris ipſis certabat, apprehenſo mento rictuve ipſarum. In pſalmo, qui recitatur libro ſecundo *i*, Regum, cecinit David gratias agens Deo, fere eodem modo, quo hìc, *docens manus k meas ad prælium, & poſuiſti, ut arcum æreum brachia mea*. Idemmet Pſalmus inter alios eſt 17 in quo ſic habetur *l*. *Qui docet manus meas ad prælium, & poſuiſti, ut arcum æreum brachia mea*. Ubi cum peritia robur continetur. Hilarius contendit & in illo, & in hoc pſalmo ſermonem eſſe de ſolo Chriſto: & in hoc dici ma- B nus ejus edoctas ad bellum, quum vicit ſęculum, prout ipſemet dixit *m*. *Ego vici mundum*: cum extenſus in crucem invictiſſimis armis ipſius paſſionis inſtructus eſt. Manus extenſæ ſunt, & digiti confixi in palmis, ac ſimul deletum, & affixum cruci chirographum vetus peccatorum noſtrorum. Placent iſta de Chriſto. Verum ſalvo litterali, vero atque proprio ſenſu de Davide, cui, nihil eſt, quod officiat.

a lib. 38
b 14. Metamorph.
c in Ajac.
d in Herc. fur.
e in Heroic.
f ſerm. 59
g in 2 Iliad.
h in Arcan.
i cap 22. 2 & ſeq
k verſ. 35
l verſ. 35
m Joan. 16. 33

Benedictus Dominus Deus meus.) Hieron. *benedictus Dominus fortis meus: fortem meum* ſignificat צורי *tſuri*. Nō eſt improbabile alluſiſſe Davidem hoc nomine, quod *Petram* ſignificat) ad eam petram, qua Goliathum ſtravit: quamvis grandiorem petram, & rupem, id nomen valeat: quæ etiam ſignificatio Deo magis congruit, nec non Chriſto, qui ex lapillo evaſit in montem *n* magnum. Cajetano placet ſignificari Deum, ſub nomine *Petræ*; ſive *ſaxi & rupis*, ut firmum, fixum, & ſolidum fundamentum. Quid ſit *benedictum Deum* dici, & quomodo à nobis benedicat, nos ipſi inter nos: præterea *Deum ſuum* quo pacto quiſque poſſit appellare. Refert Remigius, & Rickelius, *Domini* nomen ad gubernationem, *Dei* ad creationem; & Rickelius, quum dicitur *meus*, ad ſpecialem cultum, devotionem, gratiam.

n Dan. 2. 34 35. 45

Qui docet manus meas ad præliū & digitos meos ad bellum.) Addita eſt conjunctio, quæ nec Hebraicè, nec Gręcè extat, licet in tranſlatione Hieron. Trevetus legat In pſalmo 17. *o*, & in eodem, ut recitatur libro 2. Regum, prima pars tantum habetur *docens manus meas ad prælium*, ſed quod hic eſt Hebr. לקרב *lakrab* & εἰς παράταξιν, ibi extat למלחמה *lammilchamah*, & εἰς πόλεμον, quæ hoc loco Latinè dicuntur poſtea, *ad bellum*. Videri poſſunt ſynonyma, *doceri manus ad prælium, & doceri digitos ad bellum*. Tamen manus ad tractandum rectè gladium: digiti ad aptandam, & diſtinguendam fundam peculiari egebant doctrina: & funda quidem configendus Goliath fuit, ac ſternendus: gladio autem eidem caput abſcindendum. In manibus item vires ingentes cum dexteritate fuerunt, ut *leonis urſiq; mentū apprehenderet David, & ſuffocaret, interficeretq; p eos, cum leonibus luderet quaſi cum agnis; & in urſis ſimiliter faceret ſicut in agnis ovium in juventute q, ſua*. Non abſq; magno robore, ut ante di- D xi, potuit ictus unus gigantē ſternere circumducta ſemel funda, de qua etiam una circum caput agitatione, ſeu rotatione præcipit Vegetius *r*, quum ex ea emittendum eſt ſaxum. Virgilius ter id à Mezentio factum canit *ſ*,

o verſ. 35.
p 1. Reg. 17 35. 36
r lib. 2
ſ Virg. Æn. 9

Stridentem fundam poſitis Mezentius armis,
Ipſe ter adducta circum caput egit habena.

Manibus, & digitis tractantur arma ea arte, qua inferuntur ictis declinanturque, & vulgus vocat *ſcrimiam*: cujus magiſtrum appellabant veteres, Campidoctorem, doctorem armorum ὁπλοδιδακτήν Lege Valtrinum noſtrum *t*, & Lipſium *u*. Quia vero de certamine ſingulari, ſive monomachia David ſua cum Goliath, putatur hic loqui, quando honeſte, ac juſte iniri poſſit, conſulantur Theologi; Certe turpis hujuſce origo rei à ſpurio Philiſthæo, & quum videatur oſtendarum virium cauſſa duellum id ſuſceptum, excuſat Gloſſa x: quoniam ex inſtinctu Spiritus ſancti factum eſt. Nicolaus

t 1. de Milit. Rom. cap. 4
u de Milit. Rom. l. 5 dia log. 14
Ratio cur Davidis cū Golia monomachia, in exemplū duci non debeat.

A quidem Papa I. *y*, vetat in exemplum trahi, ubi Gloſſa idem repetit de divino inſtinctu. Et vero perutile certamen fuit: fractus enim eſt hoſtium animus, non ſecus ac ſi decem millia cæſa eſſent, ut poſtea mulierum cecinit chorus *z*, & *Philiſthæi videntes quod mortuus eſſet fortiſſimus eorum fugerunt a*. *Præcinctum ſe virtute ad bellum à Deo* cecinit in pſalmo 17. *b*, David, & ſupplantatos inſurgentes in eum ſub eo. Illud ipſum carmen legatis à Clodoveo Francorum primo Rege Chriſtiano miſſis ad S. Martini ſepulchrum, ut is dignaretur de belli exitu reſpondere, cantor ex improviſo cantavit, quod Regi oraculi, feliciſque ominis loco *c*, fuit. Quum Godefridum Bullonium terræ ſanctæ occupatorem ſeu recuperatorem, Saraceni miſſis quoque muneribus interrogaſſent, quo modo adeo doctas ad prælium haberet manus, ut hæ ſemper vincerent, reſpondit, quia eaſdem ſemper ab impudicis attactibus conſervaſſet *d*. De Chriſtiana quoque militia, & cujuſvis hominis, cujus & hæc ipſa vita dicitur eſſe militia *e*, diſputari non incommode hoc loco poſſet. Auguſtini allegoria eſt, ut in digitis agnoſcamus diviſionem operationis, cum radice unita- B tis propter manum eamdem, ſive propter eumdem ſpiritum, à quo ſunt diviſiones gratiarum ab Apoſtolo *f*, numeratarum: præterea ut pugna ſit adverſus carnem à *g*, ſpiritu & ita totius hominis *adverſus Principes, & poteſtates tenebrarum h*, per gratiam Dei, in quo *exultamus*, tamquam *in adjutore i*. Præliari vis, ait, indoctus, damnaberis victus. Primum ergo ſubdas te Deo. Deinde illo docente te, & adjuvante, prælieris, & dicas, *qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum*. Caſſiodorus attendit in *manibus* operationes bonas: in *digitis* ſalutaria conſilia, quæ de corde noſtro, velut quidam radii proſiliant, dum aliqua ſubtilitate cauſſas neceſſarias obtinere contendunt: & Spiritui ſancto peculiariter attribuuntur, ut & nomen *digiti k, Dei*. Bruno Carthuſianus, & Remigius per *manuum prælium* quod fit cominus, & gladiis, intelligunt conflictum contra majores tentationes: per *bellum digitorū* quod agitur eminus, ac ſagittis, ceteriſq; miſſilibus, contra minores ſuggeſtiones. Rickelius *manus* accipit pro potentiis operativis, intellectu practico & voluntate: *digitos* C pro habitibus virtutum, & diſcretione. Ayguanus impugnari nos dicit à diabolo digitis, quando à remotis ſub colore virtutum de vitiis tentat, nobis vero tunc aſtutias illius diſtincte conſiderandas: manibus, quando prope aperteq; de vitiis tentat, nos autē tunc debere gladio caput ei abſcindere; principio tentationis contradicendo. Admonet pręterea, ut exemplo Chriſti ducis noſtri ſimus audaces in aggrediendo, ſapientes in protegendo, conſtantes in congrediendo. Primum facimus, inquit, quum exēpli gratia, jejunamus, non tentati de gula: humiliamus nos, non tentati de ſuperbia, & ſic de aliis: ſecundùm, quū opponimus tentationibus teſtimonia, & exempla, quę nobis ſuppeditantur ex ſcripturis: tertium, quando in pugna perſeveramus. Bonavent. pugnaturo hæc ſcribit eſſe neceſſaria arma, ſcientiā, fortitudinem, audaciā, perſeverantiam: item in pugna, ſcientiam ait eſſe *doceri manus ad prælium, & digitos ad bellum*: fortitudinem, quod hìc paullo poſt appelletur Deus miſericordia, & refugiū: conſtantiam, cum David aſſerit: *in te ſperavi*. victoriam, *qui ſubdit populum meum ſub me*. Arnobius *doceri manus* dicit *in prælio*, nō armis, ſed precibus, pugnaturas, quem- D admodum cum lavabat Moyſes manum ad Deū, vincebantur hoſtes *l*: *digitos in bellum*, ut digitis armemus frontem, ſecurique dimicemus adverſus hoſtes viſibiles, & inviſibiles. Ubi obiter nota conſuetudinem formandi ſignum crucis in fronte, & quidem digitis. Lege Gretſerū *m*, noſtrum. Hugo enumerat prælium tentationis, diſceptationis ſpiritualis, diabolicæ impugnationis, tribulationis exterioris, extremæ perſecutionis, divinæ ſeveritatis. Item bellum bonorum, quod Deus docet, dicit eſſe contra peccata, & concupiſcentias, ut *ignea inimici tela extinguamus n*, ideſt, dæmonis ſuggeſtiones, *portas hoſtium ſubvertamus o*, hoc eſt, mundanorum aſtutias: *caſtra exterorum vertamus p*: nempè carnalia deſideria. In hoc bello exigit magnanimitatem in aggrediendo, prudentiam in progrediendo, conſtantiā in ſuſtinendo, fortitudinem in expugnādo. Malorum bellum doctore diabolo: cui datum eſt id facere cum Sanctis *q*, diſtinguit in bellum iniquitatis per linguā, perſecutiones corporalis, carnalitatis in membris regnantis. Tādem digitos, quibus bene pugnetur, recenſet gratiæ, intentionis bonæ, moderatæ

x de purg. vulgari, cap cura ſuſcepti.
y 2. qu. 5, ca. Monoma.
z 1. Reg. 18 7
a cap. 17. 51.
b verſ. 13 40
c annal. Franc.
d Thom. Sail in praxi ſpirit. cap. 8
e Job. 7. 1
Allegoria.
f 1 Cor. 12. 4
g Gal. 5. 17
h Eph. 6. 12
i pſ. 80. 1
k Exod. 8 19 cap. 31 18. Luc. 11 20
Chriſtiani ducis perfectiones.
Pugnaturo neceſſaria.
l Exod. 17. 11
Notanda conſuetudo formandi ſignum crucis in fronte.
m tom. 2 de cruce lib. 3 cap. 1. & ſeq
n Eph. 6. 16
o Judic. 5. 8
p Heb. 11. 34
q Apoc. 13. 7

locu

locutionis, bonæ operationis, juſtitiæ, diſcretionis. Sex digitos Hugo cur memoraverit, neſcio: tametſi de gigante alio mentio ſit in hiſtoria Regum *a*, qui ſenos in manibus pedibuſque habebat, ut ad eum alluſio fieri potuerit. Paulinus *b*, memoriæ lapſu huic ipſi Goliæ, quem David ſuperavit, hoc tribuit: illum alium occidit filius fratris David Samaa nomine Jonatham. Greveus *c*, in *manibus* operationes deſignari vult, in *digitis* diſcretionem: ut ſit operatio diſcreta, & diſcretio operativa: dexteræ attribuit opera fortitudinis, rigorem ſeveritatis, exercitiaque juſtitiæ: officia vera manſuetudinis, lenitatem pietatis, impendia miſericordiæ, ſiniſtræ. In quinque digitis totidem ſpectat gradus diſcretionis: dijudicationem inter licitum, & illicitum: deliberationem inter commodum, & incommodum: diſpoſitionem inter ordinatum, & inordinatum: diſpenſationem inter opportunum, & importunum: moderationem inter moderatum & immoderatum. Vocabula deinde ſingulorum digitorum ſingulis gradibus accommodat, pollicis, indicis, medii, medici, auricularis, minimive. Hæc uberius tractat, ſed Richardum S. Victoris tranſcribens, quem tamen ne nominat quidem. Interpretatur alibi Hieronymus *d manus* hoc loco pro operibus, notatque crebro ſic accipi: idem vero in præfatione libri ſecundi commentariorum in Eſaiam, rogat Euſtochium, ut ſe in ſcipturarum explanatione, certante, cum Moyſe elevet manus *e*, ut qui exiens de Ægypto mare tranſivit rubrum, vincat Amalec, qui interpretatur *devorans*, & *elingens*: & poſſit cum ipſa dicere, *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. Inſcientiæ bellum* Sapiens *f* nominat *magnum*, propter eas cauſſas, quas, eum enarrans, attuli. Noſter Salomon pacificus, ut conſequi ſui pacem poſſit, *ad bella doctiſſimos facit g*. Vidit Franciſcus initio converſionis palatium ſpecioſum, & magnum cum militaribus armis, crucis Chriſti ſignaculo inſignitis, eaque ſua & militum ſuorum fore audivit, ut narrat Bonavent. *h* Sine galea clypeoq; Martinus, ac ſolo ſigno crucis protectus, hoſtium cuneos penetrare non dubitabat, doctas nimirum à Deo manus habens ad prælium, digitoſq; ad bellum. Poſſumus porro ex utroq; loco, nimirum pſalmi noſtri, & modo citati cantici canticorum, refellere illos, qui belli uſum damnant. Chriſtus centurionibus nonnullis *i* favit, & primitiæ gentium unus Centurio fuit, ex his, qui Spiritum ſanctum palam acceperunt *K*. Joannes militibus præcepta tradidit *l*: militiæ renuntiare non juſſit;

a lib. 2. 20. 22 — *b Epiſt. 23 ad Amandū* — *c ſerm. 302* — *d in Eccl. c. 4* — *e Exod. 17. 11* — *f Sap. 14. 22* — *g Cant. 3. 7. 8* — *h in vita c. 2* — Belli uſus non damnandus. — *i Mat. 8. 13 Luc. 7. 2. & ſeqq.* — *K Actor. 10. 1 & ſeqq.* — *l Luc. 3. 14*

Verſ. 2.) Miſericordia mea, & refugium meum, ſuſceptor meus, & liberator meus.

Protector meus, & in ipſo ſperavi, qui ſubdit populum meum ſub me.

Senſus loci.

BEneficium doctrinæ bellicæ, atque ſecutæ ex ea victoriæ, pro qua benedictum Dominum Deum ſuum David laudaverat, aſcribit quinque particularibus modis, quibus ille beneficium illud conferre dignatus eſt. Nam ait ſe miſericorditer à Deo reſpectum, quæ bonorum omnium origo eſt, præveniens omnia merita umana. Deinde conſtituit DEUS ſe ipſum invocanti, & in neceſſitate confugienti refugium. Tertio confugientem ſuſcepit, ut defenderet, quaſi manu porrecta. Quarto à periculis liberavit captivitatis, vel mortis; Poſtremo, ne denuo caperetur, aut vitæ ſubiret diſcrimen, protexit. Addit vero, quod propter ingentem ſpem, ac fiduciam, plus etiam, quam optare, ac petere potuiſſet, acceperit à DEO: videlicet, non ſolum, ut de gigante tam inſignem victoriam concederet: verum etiam, ut vilis paſtor *tribunus conſtitueretur ſuper mille viros m*: immo *omnis Iſrael & Juda diligeret eum: quoniam ipſe ingrediebatur, & egrediebatur ante eos n*, & Regis gener efficeretur *o*: ac tandem Regis titulo præeſſet toti populo pacifice, quieteque illum gubernans *p*. Non minus Dei beneficium de hoſtibus victoria, quam ut ſubditi bene regantur, ac obediant: multi enim ſæpè numero trophæa in bellis erexerunt, in pace autem cæſi ſunt, inquit Chryſoſtomus, quum eorum, quibus præerant, habenas, non recte poſſent moderari. Quadrat illa ſententia:

Non minor eſt virtus, quam quærere, parta tueri.

Miſericordia fuit in Davide, quod poſtremus fratrum A inungeretur in Regem: *refugium*, quod mentem injecerit ei Deus funda Goliam ſternendi, ut *ſuſceptor* ſe Deus circa illum geſſit, quando generum Regis fecit: ut *liberator*, toties liberando à Saule: *protector*, quando in ſpelunca ipſummet hoſtem poteſtati ipſius tradidit. Sic Ayguan. Hugo, Caſſiodorus, Haimo, Remigius, Trevetus. Hæc omnia Chriſto longe quidem melius conveniunt, cui *data poteſtas omnis carnis* q, *omniſq; poteſtas in cælo & in terra r*, ac *gentes termini quæ terræ in hæreditatem ſ*: tamen Hilarii non concludit ratio, non poſſe de Davide locum iſtum litteraliter intelligi. Non erat, quando pugnabat David cum Goliath, Rex, nec ſubjectum habebat populum Philiſthiim, aut Iſrael, ſed erat adhuc Sauli ſubjectus: nihilominus rectè canere intelligitur, prout declaravimus, quod ſubjecerit ipſi Deus populum ſuum, immo & Saulem in bello à Philiſthæis occiſum, cui mox David ſucceſſit in parte regni, poſtea in regno toto. Potuit Chriſtus ut homo appellare Deum miſericordiam ſuam, & aliis nominibus, quæ hic habentur, & concedimus Hilario, ita etiam ab eodem dicta eſſe, ut honorem majeſtatis paternæ per humilitatis noſtræ confeſſionem, B quorum habitum aſſumpſerat, prædicaret. Verum non magis arbitror carere difficultate iſta, ut de Chriſto intelligantur, quod affirmat Hilar. quam ut eadem, & cetera de Davide juxta ſenſum litteralem. Putatus Hieron. admittit non tantùm ex perſona Chriſti dici poſſe, *qui ſubdis populum meum ſub me*: ſed etiam ex perſona Apoſtolorum: præterea dicere hoc poſſe ſanctum Patrem in Monaſterio, & gratias Deo agere, quoniam non ſibi, ſed Deo ſubjiciatur populus Monachorum, & ideo ſerviat ſibi, ut ſerviat Deo. Hoc Rickelius explicat de quolibet magiſtratu, qui ſubditos pacifice regat: quoniam id munus Dei eſt, apud quem *poteſtas, & terror, facit vero concordiam in ſublimibus t*: cum timor humanus, cupiditas propria, dæmon, aliudve principium malum ſubdat in rebus illicitis. Arnobius interpretatur magis adhuc tropologice de infeſto populo cogitationum malarum, quæ inſurgunt ſuper nos: Dei autem beneficio ſubduntur ſubtus nos. Id Rickelius approbat, ita ut ratio Centurioni ſimilis dicat huic cogitationi, affectionive malæ, *Vade u*, ideſt, recede, & vadat, nec diutius pulſet: laudabili autē veni ideſt, mane, & eſto in me: & veniat; item appetitui C ſenſitivo, & corpori, fac hoc, ſcilicet jejunando, continēdo, vigilando; & faciant. Auguſt & alii transferunt omnia ad mores, ut, quia, dum præliaris, periclitaris, dicas in prælii periculo conſtitutus, quæ hic continentur. Miſericordiam ſuam quiſq; nominat Deum, cui non ſolum illam præbuit, ſed etiam donavit, ut & ipſe miſericors eſſet: quoniam de nulla re ſic vincitur inimicus ait idem Auguſtin. quam cùm miſericordes ſumus; *dimittunturq; nobis debita* peccatorum, *ſicut & nos aliis dimittimus* x: *datur nobis, ſi & nos demus* y: *judicium vero ſine miſericordia illi, qui non fecit miſericordiam* z. Denique hìc præliantibus Deus *refugium* auxilii, & ne cadas, ut idem Pater docet, *ſuſceptor*, *erutor*, ſive *liberator*, ne hæreas; *protector*, ne feriaris. Remigius *miſericordiam* ſpectare vult ad doctrinam præliandi ſpiritualiter, *refugium* ad animos, fiduciamve in ipſo prælio; *ſuſceptoris* nomen ad gratiam baptiſmalem; *liberatoris*, quod ab originali, actualique peccato liberavit Deus; *protectoris*, quia preſervaverit, ne deinceps vitia poſſent vulnerare; *ſubditum populum* ad hæreticos, & alios inimicos, vel vitia ex propriæ carnis natura naſcentia, ſive illicitos motus. D Hugo attendit *DEI miſericordiam* in beneficiis conferendis: *refugium* in periculis amovendis; *ſuſceptorem Deum*, ne cadamus; *liberatorem*, quum pericula occurrunt; *protectorem* contra diaboli inſultus; *ſubdentem nobis populum* animi motuum, ut obediant rationi.

q Joan. 17. 2 — *r Matt. ult. 18* — *ſ Pſ. 2. 8* — *t Job. 25. 2* — Tropolog. — *x Matt. 6. 12* — *y Luc. 6. 38* — *z Jacob. 2. 13*

Miſericordia mea.) Chaldaicè *auctor benignitatis meæ*, vel quam exercuiſti, & exercere ſoles erga me, vel quam contuliſti mihi, ut benignus, & beneficus eſſe erga alios. Utrumque indicat Auguſtinus, ut ante dixi, ſed primum melius. In pſalmo 58. *a*, vocaverat jam David hoc ipſo nomine abſtracto Deum *miſericordiam ſuam*. Ponitur autem abſtractum pro concreto, ad emphaſin, ut ait Bruno, & ut inquit RicKelius, ad deſignandum ineffabilem magnitudinem divinæ pietatis circa ſe, ſeu miſerationis divinæ ſibi exhibitæ. Idem loquendi modus, quo dicitur Deus à noſtro Propheta *patientia ſua*, *fortitudo*, *ſpes*, &c. Non video, cur hoc loco expoſuerit Campenſis, *expectatio mea*, quod eſt חסדי *chaſdi*, & ἔλεός μου.

a verſ. 18

Et

Et refugium meum.) Hieronym. *& fortitudo mea*, ומצודתי *umtſuadathi* Chald. *arx fortitudinis meæ*. Alii, *arx mea*, *munimentum meum*. In pſalmo 17. *a* ſimilis extat ſententia, habens idem nomen Hebræum, & Latinum, cum Greco καταφυγή, quæ hìc extant; quamvis ibi Hieronym. vertat, *robur meum*: quo etiam pacto legitur in ſecundo Regum *b*, ſed Græcè ὀχύρωμα *munimentum*. Lege dicta pſalmo 17.

Suſceptor meus.) Hieronym. *auxiliator meus*. Hebraicè, משגבי *miſgabbi*. Græcè, ἀντιλήπτωρ μου, de quibus actum alias eodem pſal. 17. *c*, ubi vertit quoque Hieronym. *ſuſceptor meus*, & pſal. 3. *d*. Alluſit Remigius antea citatus ad eū, qui vocatur in Baptiſmo ſuſceptor, Bruno autem ad Medicū, qui ęgrū curandum ſuſcipit.

Et liberator meus.) Hieronym. *& ſalvator meus mibi*. ומפלטי לי *umphalleti li*: addidit, *mibi*, ait Cajetanus, ad differentiam eorum, qui liberantur aliis, hoc eſt, ad ſervitium aliorum; ipſe enim liberatus eſt ſibi, hoc eſt, ut ipſe regnaret. Coactior expoſitio; nec aliam vim in hac phraſi puto eſſe, quam aut idiotiſmi Hebræi, aut ad eblandiendum, una cum aliis elogiis, epithetiſque Dei, In pſal. 17. eodem pacto ſe habent Hebræa, ſed abſque B pronomine לי *li mibi*; vertitque Hieronymus, *Salvator meus*. Græcè utrobique, ῥύστης μου. In ſecundo Regum eſt pronomen Hebræum, ſed Græcè, ἐξαιρούμενός με ἐμοί, *eruens me mibi*.

Protector meus) Hieronymus, *ſcutum meum*; id valet מגני & ſignificat ὑπερασπιστής, *eum, qui ſcuto protegit*, ſeu *ſcutiferum*, ut alias non ſemel vidimus; tum vero in pſalmo 17. *e*, ubi ſunt eædem voces, quemadmodum & in ſecundo Regum *f*.

Et in ipſo ſperavi) Citatis modo locis eſt verbum futuri temporis *ſperabo*, ἐλπιῶ אחסה *echſeh*. Unus, quod ſciam, Caſſiodorus legit, *ſperabo*, exponens etiam, quod poſt tanta beneficia vir ſanctus ſcivit à tali ſpe non eſſe ceſſandum; ſed quanto plus à Deo acceperat, tanto magis expetebat. Ceteri volunt oſtendere, Prophetam, quod talem ſpem dubium habuerit, & pro præteritis beneficiis illa vera, & futura bona, quæ in Deo ſunt, ſperat; ſeu quod ſperaverit in his omnibus quæ prius dixit, in tot labore ſuo in omnibus præliis ſuis, in omnibus difficultatibus ſuis, ut loquitur Auguſtinus.

Qui ſubdit populum meum ſub me.) Hieronymus, *qui ſubjecit populus mibi.*] Participium cum littera demonſtrante, הרודד *baroded*, & ὁ ὑποτάσσων, de quovis tempore exponi poteſt, adjuncto verbo ſubſtantivo varii temporis, licèt ipſum Græcum ſit præſentis. Hebræum alii reddunt, *expandit*, *dilatat*, *ampliat*, *extendit*, *flectit*, *inclinat*: *videlicet, ut veluti conculcentur*, *aut potius æquabiles, ac faciles ad obtemperandū reddantur* vel *debilitat*, *comprimit*, *ſubigit ſternit*, vel *regit*, vel *protegit*. In pſalmo 17. *g*, eſt ידבר *jadber* futuri temporis, & participiū ὑποτάξας Latinè *ſubdis*: ex Hieronymo, *ſubdidiſti*. In ſecundo autem Regum *h*, מוריד *morid*, *qui dejicis*: ἐταπείνωσεν, *humiliavit* in tertia perſona. Sed illud Hebræum participium eſt à themate ירד *jarad*, *in hiphil*: id, quod hìc eſt, à רדד *radad*, Deinde pro *populum meum*, (*populos*,) abſque pronomine vertit Hieronym. & alii, quoniam legerunt non עמי *hhammi* ſingulare cum affixo primæ perſonæ, ſed plurale עמים pro quo Rabbini docent aliquando poni עמי *hhammi*: ita ut non ſit ultima littera nota pronominis, ſed numeri pluralis cui deſit littera finalis, ם *mem*, quæ citatis etiam locis exprimitur. *Populum ſuum* David vocat eum, ex quo ipſemet erat, & præterea omnem alium, quem Deo auxiliante poſtea ſubdit ſibi. Poſtremo Felix citans Auctorem Meſire, monet nonnullos legere, *ſub ipſo*, ideſt, ut ſuum populum à Deo ſibi datum ſubdat Deus ſub ſe ipſo; Senſus bonus, ſed legendum eſſet tunc, non ut nunc extat, תחתי *thachthai*, cum affixo primæ perſonæ, verum cum affixo tertiæ, תחתיו *thachthau*: ex aliis vero illis locis unus habet *i*, תחתי *thacthai*, alius cum ſimili affixo ejuſdem primæ perſonæ, תחתני *thachtheni*. Plane magni negotii res, ac perdifficilis eſt populum continere, & legi, Regi, Deo ſubdere, cum bellua ſit multorum capitum, noviſque ſemper motibus & mutationibus gaudeat. Non poterat Moyſes per ſe, ac ſolus illud negotium, quod ultra vires ipſius erat ſuſtinere, ut eum ſocer admonuit *k*, ſed ſtulto labore conſumebatur, antequam onus inter alios plures partitus eſſet. Ipſemet Moyſes conqueſtus eſt apud Deum quod *non poſſet ſolus ſuſtinere omnem illum populum, quia gravis erat illi, & tantis afficiebatur malis l*. Salomon vocatus ad regnum, profitebatur coram Deo *ſe puerum parvulum, quiq; ignoraret egreſſum, & introitum ſuū* & idcirco poſtulabat *cor docile*, & ſapientiam, & intelligentiam, *ut populum*, quem non ſuum vocabat, ſed *Dei*, *judicare poſſet*: *populum* ſcilicet *Dei multum, qui numerari, & ſupputari nō poterat præ multitudine* m. *Quis enim poteſt* dicebat ille orans Deum, *hunc populum tuum digne, qui tam grandis eſt, judicare?* Anxiæ pro ſuis precanti Franciſco reſpondit Deus, non debere pauperem homuncionem conturbari, quum etſi conſtitutus eſſet ab eo paſtor, tamen ipſe principalis patronus foret, velletque ſupernæ gratiæ aſcribi, non humanæ induſtriæ, quæ ipſe in eo ordine faceret *n*. Gubernatore opus Deo, quod nomen à navis rectore ductum eſt: quoniam populus, ut in mari fluctus, flexibilis, & inquietus eſt *o*, nec ullum fretum, aut ullus Euripus tot motus, tam varias fluctuum habet agitationes, quantàs ille perturbationes, & quantos æſtus *p*. Nō eſt in eo conſiliū, non ratio, non diſcrimen, non diligentia: ſemperq; ſapientes ea, quæ populus feciſſet, ferenda, non ſemper laudanda duxerunt *q*. Valde gravis, ac pene incredibilis ſententia Demoſthenis, δυοῖν οὐσαιν ὁδοῖν τῆς μὲν ἐπὶ τὸ βῆμα τῆς δὲ εἰς ᾅδου, μᾶλλον ἂν ἑλέσθαι τὴν εἰς ᾅδου τὸν εὐφρονοῦντα, *duabus viis exiſtentibus, altera ad tribunal, altera ad inferos, prudentem virum præoptaturum eam, quæ ad inferos ducit*. Nimis ampla, & lata de hac re diſſerendi materia. *Per Deum Reges regnant r*, ipſeque *ſubjicit populos aliis, & gentes ſub pedibus eorum ſ*: impios, ac malos ipſe iratus dat *t*, & *Regis cor in manu ejus eſt u*;

ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες
Ex Jove ſunt Reges,

cecinit quidam Poeta *x*; & ſolent alii cognominare διογενέας διοτρεφέας, *Jove editos*, *Jovis alumnos*. Collegit perplura Joannes CocKierus exempla divinæ circa Reges, alioſve magiſtratus inaugurandos, vel etiam tutandos providentiæ, ipſo primo capite libri primi politicorum aphoriſmorum. Igitur pie faciunt ſupremi Principes, quum & dicunt, & inſcribunt gratia Dei, vel clementia, vel miſeratione imperii habenas ſe regere.

a verſ. 3. — *b cap. 22. 3.* — *c verſ. 3.* — *d verſ. 4* — *e verſ. 3* — *f cap. 22. 3* — *g verſ. 48.* — *h cap. 22. 48.* — *pſ. 87. 48* — Magni negotii res, populum continere & legibus, Regi, & Deo ſubdere. — *k Exod. 18. 14 & ſeqq.* — *l Num. 11. 14 Deut. 1. 10* — *m 3 Reg. 3. 7. 8. 9* — *n Bonavent. in vita, ca. 8* — *o Demoſth. orat. de falſa legatione.* — *p Cicer. pro Murena.* — *q Idem pro Planco.* — *r Prov. 8. 15* — *ſ pſ. 46. 4* — *t Job. 34. 30 Eſa. 3. 4* — *u prov. 21. 1* — *x Callimac.*

C

Verſ. 3.) Domine quid eſt homo, quia innotuiſti ei? aut filius hominis, quia reputas eum?

Senſus loci.

MAgnitudo enumeratorum beneficiorum prorumpere compellit in magnam admirationem, quod tantus Deus, quo nihil vel fingi majus poteſt, hominem, qui de nihilo extitit, ac fere nihil eſt, & cujus bonorum nullo modo eget, tanti fecerit, ut non contentus creaviſſe, atq; naturæ muneribus exornaſſe, voluerit novis adhuc beneficiis, magis, & magis innoteſcere, ſicq; ad ſui amorem provocare. Lyran. ac Trevet. explanant, loqui Davidem de Dei dignatione, ut ſibi adoleſcentulo, & paſtori revelaret modum debellandi Goliam: adeo inſignem de illo victoriam concederet: ad tantū deinde honorem, potentiamq; proveheret. R. Kimhi, & alii minus probabiliter de Saule interpretantur, quem Deus ad regnū extulerit, inde vero poſtea ob ejuſdem propriam culpam detraxerit, & nihil niſi vanitatem eſſe demonſtraverit, atq; illius dies preteriviſſe ſicut umbrā, quemad- D modum habetur verſu ſequenti. Valde ſimilis in pſal. 8. *y*, ſententia diu ante preceſſit, ſed prolixior ob narrationem eorum, quibus excellit homo, *Quid eſt homo, quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam viſitas eum: Minuiſti eum paullo minus ab Angelis*, &c, Ibi facta hujus ipſius loci mentione, protulimus alium adhuc affinem ex Job *z*, *Quid eſt homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?* Multo major, juſtiorque admirandi, & exclamandi cauſſa propter donū incarnationis, & cetera ſupernaturalia, tum gratiæ, tum gloriæ, nominatim vero, quod cognoſci voluerit ipſe ab homine, ac myſteria ſua ei manifeſtare, invitans etiam ad clarā ſui viſionem. Invehitur hic merito in ſuperbos hæreticos Chryſoſt. qui extrema laborent inſcientia, dum dicunt ſe ea ſcire, quę ſunt eis ſuperiora. Gnoſtici inter ceteros ipſomet nomine id maximè profitebātur: & alii, qui Deum ipſum videri, immo comprehendi putabant naturaliter poſſe. Recte idem Doctor in cognitione ignorationē ait eſſe, ſi quis, verbi gratia, ſe dicat mare metiri poſſe,

y verſ. 5. & ſeqq. — *z cap. 7. 17.*

atque

atque ſcire quot habeat cyathos: & contra, cognitionem in ignoratione, ſi fateatur ſe neſcire, ſed afferat numerum ejus eſſe infinitum: ad eumdem modum cenſeri debere eum neſcire, qui putet videri DEUM poſſe lumine naturali; ſcire, qui hoc neget, quum ſciri poſſit Deum eſſe, non item quid ſit. Pluribus idem amplificari poterit ab eo, cui otium ſit.

Domine quid eſt homo.) Eſt hic appellativum & generale nomen אדם *Adam* à limo, vili materia, quod valet ad exaggerandam quæſtionem, & admirationem. In citato pſal. 8. *a. Quid eſt homo, quod memor es ejus, aut filius hominis*, &c. priore loco eſt אנוש *enos* obliviosum & calamitoſum denotans, poſteriore אדם *Adam*: qui ordo hic immutatur. Vult Caſſiodorus hæc tria vocabula ſub interrogatione, & deſpectu pronuntiari, quemadmodum & ſimilia in ſequenti membro; quæ autem utrique ſubjiciuntur loco laudativæ reſponſionis eſſe, ut ipſe loquitur. Idem approbat de interrogatione ſive quæſtione Remigius Antiſiodorenſis, citans Remigium eadem verba uſurpantem, quæ retulimus ex Caſſiod. intelligens fortaſſe Rhemenſem, qui tamen Caſſiodor. junior eſt: neque conſtant an pſalmos expoſuerit. Antonio *b* idem placuit. Ayguanus quæſtioni, quid ſit homo, reſpondet, quod fragilis naturæ: brevis vitæ, putridus interna corruptione; fœtidus peccati horrore; debilis ad reſurgendum; vanus in operatione, vanior in ſermone, vaniſſimus in cogitatione, ſervus peccati ſubjugatione; propter hæc autem omnia brutis *c* comparatum affirmat, ſingula ſcripturarum teſtimoniis illuſtrans. Poſſunt aliæ plures hujuſmodi deſcriptiones afferri etiam ex profanis auctoribus, tam quibus oſtendatur hominis vilitas, & ejuſdem dignitas etiam ſecundùm naturam, comprobetur. Hęc duo Chryſoſt. hoc loco, & *d* alibi inter ſe comparat, opponens neſcio quem locum Salomonis, in quo pronuntiat hominem eſſe rem magnam, & rem pretioſam virum miſericordē. Idem prior fecerat Baſilius *e*, aſſerens haberi hìc hominem à Davide pro aſpernabili, & gregario animali Addit ad commendationem ejuſdem dignitatis Chryſoſt. quod ſit factus ad imaginem *f* Dei: & quod ſcribatur de nonnullis, *iis mundum non fuiſſe g.* Secundùm varios reſpectu utrumque verum eſt.

a verſ. 5
b 1. p. tit. 1. c. 7. parag. 5
Quæſtioni, quid ſit homo reſpondetur.
c pſ. 48. 13, 21
d hom. 4. de verbis Eſa. c. 4. vidi Dominum.
e hom. XI. nbexa.
f Gen. 1. 26
g Hebr. 11. 38

Quia innotuiſti ei.) Hìc interrogatio collocanda, non prius, ut alios tamen voluiſſe dixi. Hieron. vertit activè, *quia agnoſcis eum*: alii, *ut agnoſcas eum*: Hebraicè ותדעהו *vatihedahbehu*, *& cognoſces eum*, hoc eſt, & tamen cognoſces: vel, ſumto futuro, pro præterito, quod indicat etiam punctum *patach* ſub litter. ו *vau cognoviſti eum*. Cajetanus interpretatur de lege, quam dedit Deus populo ſuo. Ex grata memoria propriorum beneficiorum veriſimile eſt Davidem cogitatione tranſcendiſſe ad generalia & communia toti humanæ naturæ: & ad curam providentiamq; circa illam, quod Hilar. peculiariter accipit de incarnatione, per quam Dei filius viſibiliter innoteſcere voluit. Legerunt forſitan LXX. paſſive תודע *tiuvadeahh*. Refert quoq; Chryſoſt. aliam tranſlationem Græcam in activa voce, καὶ γνώσῃ αὐτὸν *& cognoſces eum.* Theodor. ex Symmacho γνωρίζῃ *cognoſceris*, in præſenti, nempe ἀπ' αὐτοῦ, aut ex Scholiaſte γνωρίζεις αὐτὸν *cognoſcis eum*. Ut cognoſcamus Deum, cognoſcimur prius ab ipſo, & innoteſcit per beneficia ſua, quo Apollinarius explicat ὅτι οἱ ἀναφανδὰ παρέστης, *quia ei manifeſte adfuiſti*. Totam Trinitatem innotuiſſe nobis per Filiū notat Bonaventura: Patrem: quia Chriſtus dixit *h*, *Pater manifeſtavi nomen tuum hominibus*; Filium quia *in terris viſus eſt, & cū hominibus converſatus eſt i*: Spiritum S. quia illum miſit *k*. Magnum ergo quempiam eſſe oportet, ait Chryſoſt. qui eſt Deum cogniturus: vel potius, qui eſt ab ipſo cognoſcendus: non autem ſolum, ſed etiam illum, cui Deus voluerit innoteſcere. Et ideo optimè dixerunt LXX. illud, *innotuiſti ei* oſtendentes nos non enim inveniſſe, ſed ipſum nobis fuiſſe inventum. Non dixit enim, *quid eſt homo, quod eum cognoviſti*, ſed, *quid eſt homo, quod cognitus es ab ipſo?* Et ideo Paulus *l* hoc ſuſq; deq; aſſidue verſat, dicens: *Tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum*: & Chriſtus, *Non vos m me elegiſtis, ſed ego elegi vos*: & alibi adhuc Paulus, *Si n quis autem diligit Deum, is cognitus eſt ab eo o*; *item*: *ſequor autem ſi quomodo comprehendam*: *in quo*, hoc eſt, propter quod, *& comprehenſus ſum*. Hactenus Chriſoſt. quem in ſummam redegit is, qui ſub nomine Baſilii circūfertur auctor commentariorū in pſalmos apud eumdem. Hilar. autem hinc videtur inferre, quā ſit neceſſaria gratia Dei ad habendā illius notitiam, ſive fidem, quamtumque hoc ſit donum, & quod non cadat ſub meritū Confeſſio iſta pulcherrima eſt, inquit, ut indignum ſe homo tanto munere ipſe teſtetur. Et cùm ſe indignum confitetur, gratiam ejus qui ſibi hæc largiatur, extollit. Quod enim meritum hominis eſt, ut ei ſe cognoſcibilem Deus præſtet: ut incognoſcibilis natura, cognitioni noſtræ ſeſe ipſa ſubmittat. Tamen verum eſt Hilarium de cognitione illa loqui, quod & Hugo, & alii fecerunt, quia cognitus fieri Deus homini, aſſumto homine voluit. Quo pacto teſtimonium id pro grati[æ] neceſſitate non adeo concludit, etiamſi à nonnullis *p* ad eam probandum afferatur, vel quod fides ſit donum Dei. Ambroſ. *q* diſputans de pœnitentia Davidis, ait inter cetera; eum hoc loco, nihil aliud eſſe in homine, deſignaviſſe, niſi, quia Deum novit. Poteſt hoc idem Jeremiæ *r* aut Dei potius apud illum, confirmari ſententia. *Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, & nō glorietur fortis in fortitudine ſua, & nō glorietur dives in divitiis ſuis: ſed in hoc glorietur, qui gloriatur, ſcire, & noſſe me, quia ego ſum Dominus*; &c. Eamdem Prophetæ ſententiam Nazianz. *ſ*, amplificat, enumerans alia, quibus gloriantur homines, fluxa vero ſunt, & fragilia, ac velut in calculorum ludo alia ad alios jactantur, & transferuntur.

h Joan. 17. 6
i Baruc 3. 38
K Joan. 15 16 cap. 16. 7
l 1. Cor. 13. 12
m Joan. 15. 16
n Cor. 8. 3.
o Phil. 3. 12.
Ad Dei notitiam neceſſaria eſt ejus gratia.
p Valent. to. 3. diſp. 1. q. 6 pun. 1
q l. 3. in Luc.
r cap. 9. 23 24
ſ Orat. de m[...] amore paup.

Aut filius hominis.) Eſt hìc nomen אנוש *enos*, ut antea monui, & *filius hominis*, ut alias jam dudum notavi, non differt ab homine. Poſſet hìc antitheſis eſſe ad Dei filium, quem ille dedit filiis hominum, ut fieret filius hominis. Quod cognomen filii hominis, quare de Chriſto dicatur, alio loco docui. Poſſet item *homo* pro Adam ſumi, qui etiā exprimitur priore membro Hebraicè: *filius hominis*, pro tota ejus poſteritate, ut Auguſtinus docuit pſalmo 8.

Quia reputas eum.) Vetus Pſalterium, Auguſt. Proſper, *æſtimas*. Hieron. *computas*. Hilar. *deputas*. Alii, *cogitas de eo*. ותחשבהו *vatthechaſſcevehu*, ὅτι λογίζῃ αὐτόν, in emendatis codicibus: quod codices Complutenſes, Regii, & alii habent αὐτῷ in dativo. Sed in iſto caſu eſt *imputare*, ut liquet ex Apoſtolo *t*, & aliis Auctoribus. Quomodo ſenſus eſſet, quid eſt filius hominis, ut ei imputes, & rationem habeas illius: perinde ac ſi deberes quidpiam meritis ipſius. Æſtimationem Auguſt. æſtimat, & expendit ex pretio, quod pro nobis dedit Dei filius *u*: & ex filio, quem *pro nobis tradidit Pater, omnia nobis cū illo ſimul donans x*. Qui hanc annonam, inquit, dedit pugnanti, quid ſervat vincenti? nempè ut contempletur, ſeu videat, delectationem, ſeu voluptatem Domini in domo ejus, & protegat eum templum ejus, vel viſitet ipſe templum ejus *y*. Deputationem eamdem Hilar. facit cum prædeſtinatione, ut efficiamur per cognitionem Dei conformes ipſi. Caſſiodor. idem affirmat, volens iſtis verbis contineri reſponſionem, & proximè præcedentibus interrogationem. Præterea magis exprimit reputationem in ovibus, in numero prædeſtinatorum, in illa Jeruſalem beata. Nulla ad re gaudendum, certe non ita de ulla alia, ut de iſta, *quod nomina noſtra ſcripta ſint in cœlis z*. Id cum Franciſco aperte revelatum fuiſſe in extaſi, ut ſibi redditus eſt, exclamavit, *Laudetur Dominus Deus meus ipſi gloria, & honor ſine fine*, ſed conſequens dies octo ſic tranſegit, ut nulla de re alia ſermonem habere, vel etiam canonicas Horas recitare poſſet, hoc unum in ore habens ſemperq; repetens, *Laudetur Dominus Deus meus a*. Inductio tamen fieri poteſt per innumerabilia naturæ, & gratiæ munera in hominem collata. [Si ſpiritum aſpicias hominis, inquit putatus Hieron. grande quiddam eſt homo. Non deſpiciamus carnem, ſed carnis opera contemnamus. Non deſpiciamus carnem, quæ cum Chriſto regnat in cœlo, & cum illo ſedemus in cœleſtibus. Grandis hominis fœlicitas, ſcire Creatorem ſuum. Hoc à beſtiis diſtamus, quia nos intelligimus Creatorem noſtrum, illæ non intelligunt. Sed & ipſe ſtatus corporis ſuum quærit artificem. Cetera animalia terram reſpiciunt, & ubi venter, ibi & oculi. Ceterum oculi noſtri ad cœlum erecti ſunt, ut etſi mens fuerit obcæcata, tamen invictis oculis cœlum videamus.] Hactenus ex putato Hieron. Conducit plurimum conſideratio dignitatis noſtræ ſive dignationis erga nos divinæ, cum turpes, ac viles tentationes occurrunt, ut etiam Leo admonet *b*, objiciens nobis memoriā pro nobis nati Filii Dei ex Virgine. (Agnoſce, ait, o Chriſtiane, dignitatem tuam: & divinæ conſors factus naturæ, noli in veterem vilitatē degeneri converſatione recidere: memento cujus capitis, & cujus corporis ſis membrum. *Quid eſt homo*, inquit Job *c*, *quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum?*

t Rom. 4. 3. 5 2 Cor. 5. 19
u 1 Cor. 6. 20 cap. 7. 23 1 Petr. 1. 19
x Rom. 3
y pſ. 26 4
z Luc. 10. 1
a Chronic. Franciſci.
Hominis dignitas, & perfectio.
b ſerm. 1. de Nativ Dom
c Job. 7. 17

Verſ. 4)

Verſ. 4.) Homo vanitati ſimilis factus eſt, dies ejus ſicut umbra prætereunt.

Senſus loci.

ADmirationis juſtiſſima cauſa, gratiarum actionis, quod quum homo ſit res adeo modica, tamq; brevi deſinat eſſe, nihilominus dignetur Deus curam illius ſuſcipere, notitiam ſui ei communicare, magno ipſum æſtimare, tot illum bona omnis generis congerere, ipſammet naturam ejus vilem, abiectamque aſſumere. Hæc etſi myſticum ſapiant ſenſum, tamen haud vacat probabilitate, animo Davidis occurriſſe, ex occaſione beneficiorum propriorum, quæ conſiderabat, & pro quibus gratias agebat. Lyranus id refert ad humilitatem Davidis, qui dici ſolebat filius Iſai, & jam Rex *vilior fieri* volebat, *& humilis in oculis ſuis* a.

a 2 Reg. 6. 22

Homo vanitati ſimilis factus eſt.) Hieron. *aſſimilatus eſt*. Pro vanitate Theodotio ponit ἀτμίδα, Symmachus ἀτμὸν, quæ vaporem ſignificant. Vocavit David alibi *b* hominem *univerſam vanitatem*, ubi etiam alii habent ἀτμὸν, *vaporem*: & agitur de brevibus diebus humanæ vitæ: & ſubſtantia hominis dicitur tamquam nihilum ante Deum. Inde huc transferri poſſunt, quæ docuimus: nam plus eſt *eſſe univerſā vanitatē*, quam *vanitati ſimilē fieri*. Videntur tamen hic Græci in ſimilitudine non imminutionem, ſed ipſam rei veritatem accipere: eodem modo putatus Hieron. vere umbram appellari hominem affirmat. Per comparationem cum Deo Trevetus explicat, ut eſſe vanum ſit idem, quod inutile: id autem de homine dicatur, quia nullam homo utilitatem affert, nullum ille uſum hominis habet: *Servus inutilis* ei eſt *c*, *bonorum ipſius non eget d*. Auguſt. Proſp. & alii, reſpectu etiam æternorum hęc dici volunt, quia peccando converſi ſumus ab his ad temporalia, quæ, quoniam tranſeunt, non cenſentur vera eſſe. Caſſiod. autem perpendit, quod ſic factus dicatur homo, non creatus, quia creatus eſt verax, ſimplex, purus, immortalis. Sed & Ambroſ. * ſcribit, quod non ille ſecundùm imaginem Dei homo vanitatis eſt, ſed qui illud amiſit, & in peccatum decidit, & in materialia iſta dilapſus eſt, iſte homo eſt vanitatis. Rurſum Auguſt. *e* alibi docet, per peccatum hominem vanitati ſimilem factum: tamen non *vane conſtitutos omnes filios hominum à Deo f*, quia multos, à vanitate liberat per mediatorem Jeſum. Hilar. non vanitatem, & umbram, ſed his hominem ſimilem videtur docere, quia non abit omnino per mortem, utpotè anima remanente, quæ etiam deputatur, ac deſtinatur ad cognitionem, & viſionem Dei. Idem innuit Bruno, quod per peccatum ad nihilum fere videamur redacti: videlicet non omnino ad nihilum, à quo vanitas, & umbra non differunt. Amor & affectus, rei reddit ſimiles, quæ amatur, ut *abominabilis efficiatur is qui res tales diligit* *. Similis Deo juſtus per amorem creaturæ, quam ipſi præponit, evadit ſimilis creaturæ, quæ ut ſecundùm ſe ſpectatur, & ut à Deo remota, mera vanitas, & nihil eſt.

b Pſ. 38. 6
c Luc. 17. 10
d Pſ. 15. 2
* de Iſaac c. 2
e 17 de civit. cap. 11
f Pſ. 88. 48
* Oſea. 9. 10

Dies ejus ſicut umbra prætereūt.) Ex Hebræo, *ſicut umbra pertranſiens*, nempe ſunt כצל עבר *chetſel hhover*. In pſalm. 101. *g*, David cecinit, *Dies mei ſicut umbra declinaverunt*; in 108. *h. Sicut umbra, quum declinat, ablatus ſum*. Quæ comparatio familiaris eſt prophanis quoq; Auctoribus, ut alias diximus, agentes ſimul de vitæ noſtræ brevitate. Idem noſter Propheta cùm præparaſſet ipſe, ac populus materiam, ſumtuſque pro domo Domini, ſic modeſte de ſeipſo, ac de aliis loquutus eſt Deo *i*, *Quis ego, & quis populus meus, ut poſſimus hæc tibi univerſa promittere? tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Peregrini enim ſumus coram te, & advenæ, ſicut omnes patres noſtri: dies noſtri quaſi umbra ſuper terram, & nulla eſt mora*. Libri præterea Sapientiæ Auctor *k umbræ tranſitum* nominat *tempus noſtrum*: negatque *reverſionem finis noſtri eſſe, quoniam conſignata eſt, & nemo revertitur l*. Job *externos vos* vocat & *ignorantes, quoniam ſicut umbra dies noſtri ſunt ſuper terram, & fugimus ſicut umbra m*. Salomon *n tempus noſtrum velut umbram præterire* ſcribit, non ſolum *tranſire ſicut umbram qui nō timent faciem Domini o*: qui ſero tandem fatebuntur, *ſuperbiam, ac divitiarum jactantiam tranſiviſſe tamquam umbram p*. Signum, ac ſymbolū proferendæ ſibi vitæ accepit Ezechias *retrorſum revertentem umbram decem gradibus in horologio Achaz q*, qui typus eſt quoque præſentis temporis, ut ait Angelomus *r*, & Iſidorus *ſ*. Nihil inanius umbra: qui ſub illa dormiat, radiis mox proditur Solis: aſcendente Sole extenuatur: cùm is præcipiat, fugit illa celerius: numquam eadem, ſed modo major, modo minor: quo major, eo propior tenebris nocturnis: ſemper movetur cum Sole, aliove aſtro: habet nonnihil lucis tenebris admixtæ; ſub ea dormit diabolus libenter *t*, ideſt, auctore Gregorio *u*, in frigida mente, ideoq; colitur etiam libenter in opacis, & umbroſis locis, ſive lucis. Apud Deum & ipſius æternitatem participantes, *non eſt obumbratio viciſſitudinaria x*. Creditus Hieronym. hypotypoſin ponit ætatis ſuæ grandævę per præcedentes dies lapſæ; Chryſoſtom. eorum, qui Magiſtratibus defuncti ſunt; Sol quoque indeſinenter curſum ſuum peragit, numquamque ſe in ſtabilitate figit; curſus tamen vitæ hominis, umbræ potius, quam Soli comparatur, ut ait Gregorius *y*; quia amiſſo amore conditoris calorem cordis perdidit, & in ſolo iniquitatis ſuæ frigore remanſit. Attendat ſibi homo, ait Auguſt. in diebus umbræ ſuæ, ut faciat aliquid dignum deſideratæ lucis ſuæ; & ſi in noctis umbra eſt, quærat diem.

g verſ. 12
h verſ. 23
i 1 Paral. 29 14. 15
K cap. 2. 6
l Cap. 8. 9
m cap. 14. 4
n Eccleſ. 7. 2
o cap 8. 13
p Sap. 5. 9
q 4 Reg. 20. 9 10
r ibid.
ſ ibid. cap. 6
t Job. 40. 15
u ibid.
x Jacob 1. 17
y 11 moral. c. 26. vel 27

Verſ. 5) Domine inclina cœlos tuos, & deſcende, tange montes, & fumigabunt.

Senſus loci.

QUum extuliſſet prius, admirans Dei benignitatem, atq; beneficentiam erga ſeipſum adeo vilem, & brevis ævi homuncionem; jam indignans contra nonnullorum ſuperbiam contumaciamque, qui non vererentur innocentes vexare, ac ipſiuſmet Dei voluntati, decretiſq; quantum valerent reſiſtere, implorat ejuſdem De[i] vindicem juſtitiam, qua iſtos comprimat, illos tueatur, & quoniam ſuperbi illi ac impii Deum cœlis contineri arbitrabantur, ut nec res humanas inde intueri, nec eas curare poſſe videretur, petit, accommodate videlicet ad tam fatuam illam opinionem, ut ipſoſmet orbes cęleſtes demittat, & velut in ſellis geſtatoriis huc deſcendat, propiusq; accedens, accendat ceu fulminum flammis ſupercilia montium; ideſt, potentiorum magiſq; ſuperborū, ita ut, quaſi fumus inde exiſtat, atq; conſpiciatur. Vel certe, ut obſervat Chryſoſt. magis inculcat, & perſuadet dictā proximè, hominis vilitatem, & imbecillitatem, cum Deo præſertim collatam; quoniā Deus veluti de cęlo deſcendens, ipſos maximos, & celſiſſimos montes, qui ſuperborum ſunt ſymbolum, tangit, & fumigare compellit: ac proinde multo facilius deprimere poteſt hominū ſuperbiam; & fulguribus, ac fulminibus diſjicere, ut ſequenti verſu continetur. Intelligit vero aut Philiſthæos, ut placet Lyrano, quorum Goliath gigantem lapide ſtraverat, gladioq; obtruncaverat, aut ipſum cum Philiſthæis Goliath, ut Ayguanus exiſtimat: aut perſecutores ſuos: ſive dum adhuc Saul eorum Dux, viveret, ſive alios, poſtquam illo mortuo regnum iniverat; quos R. Kimhi vocat Reges, nempe externos. In pſalmo 17 *z*, tamquam parta jam hoc modo victoria, quodque inclinaſſet Deus cœlos, atque deſcendiſſet, gratias egit Deo. Alibi *a* præterea cecinit, quod *reſpiciendo terram, facit eam tremere, & quum tangit montes, fumigant*. Item quod *montes ſicut cera fluunt à facie ipſius b*. Michæas *c* etiam ſcribit quod *egrediente Domino de loco ſuo, & deſcendente, & calcante ſuper excelſa terræ conſumentur montes ſubtus eā*. Minus probo traditum à Cajetano de lege data ſenſum, licet ad modum quo data eſt alludi concedam, adhibitis nempe tonitruis, & fulguribus, ipſoque montes Sinai fumante, quaſi de fornace *d* ignis. Senſu myſtico ad incarnationē hic locus paſſim applicatur, per quam juxta Patrū vota, *d* ſrupit Dei Filius, *cœlos, & deſcendit e*. Adjungunt etiā nonnulli Angelos, ut eos mittendo demittere ſe Deus quodammodo cenſeatur, & deſcendere, gratiam ſimul ſuam infundendo. Per tactum vero montium interpretātur vel ſuperbos præſertim dæmones, qui diſſolvantur, & corrumpantur, quemadmodū candela dum extincta fuerit, fumigat; vel juſtos, qui tacti fumigent, lacrymas pro ſuis, & aliorum peccatis fundendo, & ad cęleſtia ſuſpirando. Hilarius in deſcenſu incarnationem ſpectat, in inclinatione cęlorū famulatum cęleſtem, qui cum aſcendente Filio Dei ad aſſumendum hominem adſtit, quando Maria evangelizata *f* eſt: quando paſtores æthereum cęlum, & ſonum viderunt, atq; audierunt *g*; quando poſt tentationem diaboli Angeli miniſtrarunt *h*; in fumigatione montium, quod poteſtas diabolica utcumq; ſubjecta eſt, ſed adhuc ultioni, & pęnæ legitimæ præparatur,

Montes excelſi ſuperborum ſymbolum
z verſ. 10
a Pſ. 103. 32
b Pſ. 96. 5
c cap 1. 3
d Exod. 19. 16 17. 18
Senſus myſticus.
e Eſa. 64. 1
f Luc. 1. 26 & ſeqq.
g cap. 2. 9. & ſeqq.
h Matt. 4. 11

quaſi

quaſi nondum penitus combuſta, & extincta. Auguſt. celos inclinatos interpretatur, Apoſtolos humiliatos, & humiliantes ſe, dum prædicantes, putarentur, & dicerentur dii; eum vero ipſi honorem abhorrerent *a*: montes tactos, ac fumigantes, ſuperbos, dum Deus gratia tangit, fatentur flentq; peccata ſua, & confitentur *ſolum altiſſimum Deum in omni b terra.* Putatus Hieronym. ponens myſticum ſenſum de inclinatione cęlorũ per incarnationem, tangi montes, & fumigare declarat de ſuperbis: qui per vim fidelis prædicationis transferuntur *c*, & fumigant, non inflammantur, habendo pęnæ indicium, non fulgoris, non ſplendoris: fumigaverunt, ait Caſſiod. quando crebris ſuſpiriis, continuiſq; gemitibus, ſua peccata ploraverunt. Craſſus enim fumus ore vomitur cùm ſe in planctum vitalem mortalis corporis compago commoverit. Remigius poſterius membrum eodẽ pacto exponit: primum de prædicatoribus, ut ad homines, quos tanti à Deo fieri antea dictum eſt, illos demittat Deus, faciatq; condeſcendere de ſublimitate intellectus, ad modum capacitatis eorum. Addit vero etiam Bruno, ut iidẽ prædicatores humilientur, non ſuffugiendo pro doctrina perſecutiones pati. Bonavent. vero exceſſum in prædicatore triplicem notat, ſupra conſcientia, quando prædicat, quod ſcientiam excedit: ſupra induſtriam, quando mens iſtius illuminatur: ſupra naturam, quando totius humanæ naturæ modum, & metam excedit. Arnobius conveniens cum reliquis in incarnationis inclinatione, per quam deſcendit Deus eo modo, quo dicitur Imperator, dum ſe humiliat, inclinare omne palatium: tactos montes, & fumigantes, explanat Apoſtolos; qui fumum nubium reddiderint, tantaq; fuerit imbrium, quos miſerunt, pluvia, ut in toto orbe terrarum venas fontium repleverint, quibus omne ablueretur facinus, & lavaretur omne peccatum. Deſcenſum incarnationis, Haimo inclinationem cœlorum, de Angelis, qui cùm prius adorari ſolerent, fecit eos Deus ſervitores hominum, & qui videlicet deinceps adorationem detrectaverint *d*: tactos montes de potentibus, & ſuperbis hujus vitæ interitus inſpiratis, & ſic emittentibus gemitus magnos, & lacrymas ex igne piæ compunctionis. Hoc ultimum alii *e* accipiunt de humilitate, per quam tacti à Deo ſuperbi, de ſe ſuperbe non ſapiant, ſed ſe velut fumum æſtimantes, non ad ſe ſolum, ut ante, ſed ad Deum recto tramite aſcendant, orando, animumq; dirigendo, & cuncta, quæ in ſe bona agnoſcunt, uni Deo attribuendo. Hugo complexus eſt ſimul omnes indicatos modos: & præterea de cęleſtibus ipſis corporibus, ut, quemadmodum camelus inclinat ſe ad recipiendum onus, ita cœli ad nos recipiendos. Ait etiam inclinatos cœlos tamquam vas, quod inclinatum effunditur, quando inde venit quod optimum erat; nempe Chriſtus, ut idcirco Eccleſia canat mellifluos factos cęlos. Præter enarratores pſalmi, Gregor. *f* inclinationẽ cęlorum, deſcenſumq; ad prædicatores quoq; retulit, qui cũm ſe contrahunt, divinitatis notitiam noſtris cordibus infundunt; ſi autem Dei contemplationis rigore inflexibiles permanerent, nequaquam ad nos Deus deſcenderet. Chryſoſtom. dum enarrat pſalmum 13. hic ait peti, ut qui eo pſal. *g de cœlo proſpiciens ſuper filios hominum, ut* 3 *videret ſi eſſet intelligens, aut requirens Deum, omnes autem declinaviſſe reperiſſet, & inutiles factos, nec eſſe, qui faceret bonum uſque ad unum*, dignetur deſcendere cęlis inclinatis, & quærere quod factum erat ad imaginem ſuam: Utrumq; ad idem propoſitum Theophilus Alexandrinus *h* profert locum, aitque in iſto Prophetas auxilium Chriſti deprecari, non ut mutaret loca, in quo omnia ſunt, ſed ut propter ſalutem noſtram carnem humanæ fragilitatis aſſumeret. Eadem Auguſt. *i* mens alibi. Hoc nonnulli etiam adumbratum volunt per deſcenſum Chriſti de monte, ſive ut prædicaret k, ſive ut mundaret leproſum *l*, Favet, quod R. Salomon animadvertit in commentario Canticorum *m*, ibi formam ſponſæ deſcribi à Sponſo exordiendo à pedibus *n*, ſponſi autem à ſponſa, incipiendo à capite *o*, quoniam ad voluntatem ſponſæ ſponſus quodammodo à ſummo cęlo, uſque ad inferiores partes terræ demiſit, ac humiliavit ſe, & condeſcendit divina majeſtas, ut ei auxiliaretur, juxta illud, quod hoc loco canitur, *Domine inclina cęlos tuos, & deſcende.* Id Agathius *p* Guidacerius magis diſerte tradit, quamvis præſentem non citet locum, additque præterea laudationem ſponſæ à pedibus cęptam, quoniã erat ſurſum uſque ad ſummum cęlum ex ima terra ſublevanda. In commentario pſalmi 17. *q*, ubi dicitur quod *inclinavit*

a Actuum 14. 5. 14
b Pſ. 22. 29
c Matt. 17. 19
Exceſſus in prædicatore triplex.
d Apoc. 19. 10. c. 22. 9
e Martinus Alfonſus.
f 30. moral. c. 12. vel 20
g verſ. 2. 3
h Epiſt. 1 paſchali.
i de eſſent. Divinit.
k Matt. 5. 1 Luc. 6. 17
l Matt. 8. 1
m cap. 7
n cap. 7. & ſeqq.
o cap. 6. 4
Ratio cur ſponſæ formã ſponſus à pedibus, ſponſi autẽ ſponſa à capite incipiẽdo deſcripſerit.
p in Cant. cap. 7.
q verſ. 10

Deus cœlos, & deſcendit, recitavimus Cyrillum Jeroſolymitanum *r*, Chryſoſtomum *ſ*, Ambroſium *t*, præter interpretes ejus loci Euthymium, Nicephorum, Heſychium, & alios exponentes de incarnatione.

Domine inclina cœlos tuos.) Hæc ipſa phraſis occurrit pſal. 17. *u*, & ſignificatur hac formula rem adeo deploratam eſſe, ut nulla ſit ſpes, niſi ſuccurratur edito aliquo miraculo. Retuli ex Arnobio perinde fere eſſe, atque ſi quis dicat, dum ſe Imperator humiliat, inclinare omne palatium ſuum. Cajetanus docet modum deſcendendi metaphoricum eſſe, ut quoniam cœlum dicitur Dei ſedes, inclinatio cęli, ſit inclinatio ſedis, tamquam Deus ſedens deſcendat: ſicut quum princeps geſtatus in ſede deſcendit ſede inclinata, hoc eſt, demiſſa. Myſticè quid hoc ſit, dictum ſatis antea. Nec inepte contuleris hoc vehemens deſiderium cum illius deſiderio, qui toto corporis conniſu erigit, & attollit ſeſe, ut ex arbore celſiore fructum decerpat, aut quidvis aliud ex alto dependens, apprehendat, vel hominem exiſtentem, ut demittat, rogat.

Et deſcende.) Chaldaicè, *& manifeſtate.* Dictum etiam, hunc deſcenſum figurate de Deo intelligi. Auguſtinus *x* vero alibi docet in genere, cum Deus deſcendere dicitur, intelligi novum quid ab eo fieri, quod antea non operabatur in creatura. Confirmat verbis pſalm. 17. *y*, quæ ſunt iſtis ſimilia, dicitque quod Deus cęlos inclinavit, & deſcendit, quia ante adventum ſuum, prænuntios Angelos, ſive Prophetas miſit, qui ejus adventum hominibus nuntiarent. Quod prius deſcenſum, pro condeſcenſu exponere nonnullos dicebam, ut ſcilicet prędicatores ad captum ſe auditorum accommodant, & attemperant: de Chriſto ipſo, quum docebat, & de Spiritu ſancto intus docente unumquemque, affirmare poſſumus. Sic vero etiam Chriſtus abſtinebat ab his, quę diſcipuli adhuc portare non poterant *z*, & Paulus *a*, nondum perfectis lac potum dabat, non eſcam. Initio quidem Deus, ait Irenæus *b*, potens fuit dare perfectionem homini, ille autem nuper factus (imperfectus) non poterat illud accipere, vel accipiens capere, vel capiens continere, & propter hoc coinfantiatum eſt Verbum Dei, quum eſſet perfectus, non propter ſe, ſed propter hominis infantiam, ſic capax effectus, quemadmodum illum homo capere potuit. Ambroſ. deſcendere Verbum in eo aſſerit *c*, ſi noſtros penetret affectus, & ſe ex illo inenarrabili comprehenſibilique ſecreto majeſtatis profundæ det ſe comprehendendum pro captu noſtro, non ſolum quum ſe exinanivit per incarnationem, ſed etiam quum habitat in nobis. Eumdem deſcenſum Auguſt. attendit in hoc, quod ad humana verba deſcendit, & ſuæ majeſtatis opera rerum humanarum vocabulis deſcribi dignatus eſt, cujus ſapientia deſcenſura erat uſque ad corpus humanum, ut poſſent ab hominibus carnalibus ad modum rerum carnalium percipi & apprehendi.

Tange montes, & fumigabunt) Alius apud Chryſoſt. reddidit hæc, & priora in præterito κλίναντος σου οὐρανὲς ϗ καταβάντος ϗ ἁψαμένε τῶν ὀρέων, ἐκαπνίσθησαν, *cum inclinaſſes tu cęlos, & deſcendiſſes, & tetigiſſes montes, fumaverunt.* Sic prius in pſalmo 103. *d. Qui tangit montes, & fumigant. Tangendi* verbum etiam Latini uſurpant de terribili percuſſione, quæ fit fulminibus, unde res cognominantur tactæ: ideſt, fulminatæ, fulguritæ, fulmine ictæ, percuſſæ, afflatæ, crematæ, ſideratæ. Hoc modo tactum Cicero *e* dixit, qui urbem condidit: & Virgilius tactas quercus de cœlo *f*. Tacitus *g* quatuordecim urbis regiones: Svetonius *h* Cæſarum ædes, & Capitolium, Templumque Flavianæ gentis, & monumentum Druſi patris: Gellius *i* ſtatuã Horatii Coclitis Romæ in comitio poſitam: Cato k villã. Propterea vero tangi dicuntur hujuſmodi res, quamvis adeo graviter læſæ, quoniã fulmen tangit dumtaxat, nec abſumere ſolet. Qua comparatione, ac ex ignibus Ætnæ, Veſuviiq; Minuntius *l* utitur, ut explicet pęnale illud incendium, non damnis ardentium paſci, ſed in exeſa corpora laceratione nutriri. Eodem ſenſu ſcribuntur in Job *m* Latinè *oves tactæ*. Alias *tangere* in Scriptura ad lepram pertinet: ad quamlibet etiam plagam, aut vexationem, ut exemplis oſtendi poſſet. Quid hic montis tactus, & fumigatio myſticè valeant, dixi prius, & dicta pſal. 103. *n*, recognoſci poſſunt. Abiit jam in proverbium de ſuperbis, & iracundis, qui leviter tacti, re, aut verbo, ſtatim excandeſcunt, & irarum fumos exhalant. Per accommodationis porro ſenſum, & quidẽ bonum, fumigare dici poſſunt, qui

r Catech. 14
ſ orat. 4. de Aſcen.
t Apol. David. c. 12
u verſ. 10
x de eſſent. Divin.
y verſ. 10
z Joan. 16. 12
a 1 Cor. 3. 2
b lib. 4. c. 75
c 5. de fide.
d verſ. 32
e Tuſc. 3
f Ecloga 1
g 14. Annal
h in Galba. c. 1. & in Domitiano cap. 15. & in Cla. cap. 45
i lib. 5. c. 4
k de re ruſt. cap. 14
l in Octav. apud Arnob.
m cap. 1. 16
n verſ. 32
Senſus accommodatitius.

qui modice quidem igniculi à DEO concepti effecta edere incipiunt; ſic enim Baſilius *a* ait, quod linum fumigans *b* is eſt, qui non pleno ſtudio, ſed ſegnius DEI mandata exequitur.

a regul. 291. brev.
b Mat. 12. 20 Eſa. 42. 3

Verſ. 6.) Fulgura coruſcationem, & diſſipabis eos: emitte ſagittas tuas, & conturbabis eos.

CLara ſatis petitio, ut hoſtes terrore, ac trepidatione, tamquam fulguribus, fulminibuſq; perſtricti, & perculſi conturbentur, confundantur, diſſipentur, diffugiant. Id acciderat quondam ſub Joſue *c* pugnante cum Amorrhæis: poſtea ſub Samuele contra Philiſthæos *d*: ſub eodem et David adverſus eoſdem Philiſthæos *e*; tum etiam ſub Machabæis *f*; & in pſal. 17. *g* Idem hoc nomine hiſce ipſis fere verbis gratias agit, quod recitatur etiã in ſecundo Regum *h*. Repetenda vero ex dicto pſalmo, quæ huc ſpectant. Exemplum, quod ibi attigimus, illuſtriſſimum extitit in legione illa Chriſtianorum Melitinorum, quæ fulminea, ſive fulminatrix cognominata ex, κεραυνόβολος, (quamvis Latina voce jampridem ſub Auguſto legio duodecima ſic appellaretur) ſub M. Aurelio Antonino, propterea quod in bello contra Quados precibus pluviam exercitui Romano extrema vexato ſiti, & adverſus hoſtes fulmina, grandinemque impetraverint: licet autem id Arnolpho mago Dio *i*, alii alteri quoque mago Juliano adſcribant, Chriſtianis illis militibus id aperte attribuit Xiphilinus *k*, Tertullianus *l* recitans ea de re ipſiuſmet Imperatoris litteras ad ſenatum, Euſebius *m* proferens Tertulliani teſtimonium, atque Apollinaris: præterea Nyſſenus *n* acta Polyeucti *o* Martyris, qui ex eadem legione, quamvis non eodem tempore erat, Oroſius *p*. Nicephorus *q*, Diaconus *r*; denique epiſtola ipſa Imperatoris extat ad calcem apologiæ, quam Juſtinus Martyr edidit ad Antonium Pium. Poſt hoc exemplum celebratur aliud ſimile ſub Theodoſio *ſ*; aliud contra Attilam; deprecante Aniano Epiſcopo Aurelianenſi *t*: & his plura, quæ collegit Serarius *u* noſter: quibus & addi alia adhuc poſſent. Senſu myſtico pertinet imprecatio ad impios, & ad Eccleſiæ perſecutores, ut *Dominum formident adverſarii ejus, & ſuper ipſos in cœlis tonet* x. Vel in meliorem partem accipiendo fulgura, & coruſcationes, fulminum ſagittæ miracula ſunt, & efficacia Prædicatorum verba, quibus conſtringantur expaveſcendo, & hortando, ut loquitur Auguſt. exclamare. Quis eſt iſte, qui tanta poteſt? quis eſt iſte, qui ſic exaltatur? cujus nomen tantum valet? Sic autem diſpergitur, ſeu diſſipatur mala contentio eorum, & vulnerantur male ſani, ut ſanentur bene vulnerati, & dicant jam in Eccleſia, & in corpore conſtituti cum ipſa Eccleſia, *quoniam vulnerata charitate ego ſum* y. Caſſiodorus conſiderat præterea in coruſcationibus antitheſin inter tenebras peccatorum, & lumen prædicationis; & ſagittas explicat de Apoſtolis, qui veritate prædicationum tamquam jacula pennata hominum pectora transfoderant, ſanitatem mentium ſacris vulneribus operantes. Bruno conturbationem interpretatur dolorem, quem concipiant inſtructi, quam digna ſint, & ſancta præcepta Dei, de hoc, quod his præceptis operam non dederint. Euthymius, & Nicephorus non modo per fulgurationem, & ſagittas intelligunt flagella, & ſupplicia, ut famam, peſtem, &c. quæ Chryſoſt. item ſententia eſt: ſed etiam locum hunc totum una cum ſimili loco pſalmi 17. ad Chriſti duplicem adventum applicant, & primum, & ſecundum. Hilarii mens eadem de utroque adventu. De primo autem vim harum coruſcationum, & ſagittarum optime declarat. Horum, ait, ideſt fidelium, ad innocentiam renatorum verba tamquam ſagittæ emiſſæ (*coruſcationes* prius acceperat pro Apoſtolicis prædicationibus, & ſplendore doctrinæ Dei, quæ condenſam illam, & conſpiratam dęmonum virtutem diſperſerit) illos fumantes, montes conturbabunt, quum regni cœleſtis beatitudo, & æternitas prædicetur: quum honor ſæculi contemnatur, & Chriſti gloria ſperetur: quum luxus, & ebrietas relinquatur, & corpus jejuniis purgetur; quum avaritia vincatur, & largitio exerceatur: quum virgines corpus ſuum oderint: quum viduæ fuiſſe virgines maluiſſent: quum Confeſſores vitam ſuam deteſtentur: quum mori Martyribus ſit optabile. Conturbationem denique malam in iis attendit, qui dictis rebus adverſantur: quum ceſſante regno eorum, Chriſti regni expectatio prædicatur.

Senſus loci.
c cap. 10. verſ. 10. 11.
d 1. Reg. 7. 10
e 2. Reg. 5. 23. 24
1. Paral. 14. 14. 15
f 2. Mach. 10. 30
g verſ. 15
i in M. Aurel.
k ap Dion.
l contr. Scapulam c. 4. & apolog. c. 5
m 5. hiſt. c. 5 & in chron.
n orat. in 40
o apud Sur. 9. Januar.
p lib. 7. c. 15
q lib. 4. c. 12
r lib. 10
ſ Sozom. lib. 7. Theod. lib. 5. cap. 24
t in vita.
u in 2. Mac. 10. in Joſue c. 10. q. 39. in Judith, & er. 1. Anti, aurcica.
x 1. Reg. 2. 10
y Cant. 4. 9

Fulgura coruſcationem.) Hieronymus, *mica fulgure.* Sed apud Trevetum, Fabrum, Victorium, *fulmine.* Alii, *fulgura fulgur, jaculare fulgur, coruſca fulgure, emitte, fulgur, coruſcando coruſca.* Alia Pſalteria Latina, & Hilarius, Auguſtinus, Proſper, Caſſiodorus, *coruſca coruſcationes*: additque ultimus *tuas*. Putatus Hieronymus, & Bruno, *fulgura coruſcationes.* Haimo, *fulgura*, aut *fulgora*: utrumque enim dici poteſt. Hugo vel *fulgura*, vel *coruſca coruſcationem*, vel *mica fulmine.* Ex Hebræo proprie, *fulgura fulgure*, aut *coruſca coruſcatione*, aut *fulmina fulmine*, aut in accuſativo, *fulgur, coruſcationem, fulmen*, ברוק ברק *berok barak*, & Chaldaicè in plurali vocabulis fere iiſdem, אברק ברקין *aurek barkin*, Græcè, ἄστραψον ἀστραπήν. Quod Caſſiodorus notat argumentum à conjugatis, magis habet locum in aliis linguis. In Latina vero translatione, in quo eſt, *coruſca coruſcationem*, inepte *fulminis fulminandive* vocabulum Genebrardus poni contendit; eo quod fulmen ſit ſpiritus à nube expreſſus ſine inflammatione; fulgur autem, ſive coruſcatio cum inflammatione, & id ait eſſe ברק *barak*. Ita eſt, atque confirmari poteſt ex Exodo *z*, ubi narratur *cepiſſe audire tonitrua*, קלת *Koloth*, φωναὶ, *voces*, & *micare fulgura*, ברקים *barakim*, ἀστραπαὶ. Nec apte dicitur, *mica fulmine*: quo tamen modo retuli nonnullos legere ſecundum translationem Hieronymi. Denique mentio ſubditur de ſagittis, quæ non differunt à fulminibus.

Et diſſipabis eos.) Hiernoymus imperative, *diſſipa.* Vetus Pſalterium, & Auguſtinus, *diſperges.* Proſper, *diſperge.* Alii, *diſperde.* Significat præterea Hebræum verbum hujus loci פוץ *puts conterere, & diſpergere rem contritam in partes*: & in Pſalmo 17. *a* ubi legimus, *miſit ſagittas ſuas, & diſſipavit eos*, eſt idem verbum, ſicut & in ſecundo Regum *b*. Inde etiam מפיץ *mephits malleus*, quo res, dum conteruntur, huc illuc diſperguntur. Non quadrat propoſito hæc notio, quia fulgura non conterunt; ſed homines terrendo diſſipant, & diſpergunt; & ut citato illo pſalmo dicitur, quum *multiplicantur conturbant.*

Emitte ſagittas tuas.) Hieronym. *mitte ſagittam tuam.* Sed apud Trevetum, *ſagittas tuas.* Et Hebræum quoque nomen hic numeri pluralis eſt, חציך *chitſecha*, ut & citatis aliis locis. Quia vero pluralis numerus hoc loco eſt, atque pronomen, ſuſpicor in priore membro nonnullos propterea vertiſſe, *coruſcationes tuas*: monui pſalmo 17. *ſagittas* pro fulminibus, vulgari etiam lingua uſurpari. Græci quoque dicunt Jovem, ac Deum ἐνσείειν, ἐνσκήπτειν, ſive ἐγκατασκήπτειν, *cieri*, & *jaculri*, βέλη *c*, *ſagittas.* Idem ſibi volunt præſertim Poetæ Latini, qui jaculari arces dicunt, ignes, & jaculari, & jacula, telaque hoc eodem ſenſu uſurpant.

Et conturbabis eos.) Hieronymus, *interfice illos.* In pſalmo autem 17. *d*, & in ſecundo Regum *e*, *diſſipavit*; ſed de fulguribus, *conſumſit.* Verbum eſt המם *hamam, frangere, conterere*: cui ſunt affinia הים *him*, & המה *hamah*, quæ important ſtrepitum, tumultumque. Interdum etiam vertitur *exterere* f.

z cap. 19. 16
a verſ. 15
b cap. 22. 15
c Sophocl. Trachin. & Herodot.
d verſ. 15
e cap. 22. 15
f 1. Reg. 7. 10.

Verſ. 7.) Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis, de manu filiorum alienorum.

QUæ in hoſtes imprecatus eſt huc uſque, eo pertinent, ut ex ingentium calamitatum pelago liberetur, quas illi concitaverunt, maxime alienigenæ, & externi, qui non erant de populo Iſrael, quales Philiſthæi immenſo quodam numero, magnoque impetu incurrentes, ac inundantes. Quocirca implorat divinam de cęlo opem, & auxiliatricis potentiæ manum Dei. Non fruſtra id orat David, etiamſi ponatur Goliath jam occiſus, quod Hilarii unum ex argumentis eſt, ut probet pſalmum de Chriſto totum eſſe, non de Davide: ſuperfuerunt enim poſtea Davidi bella multa, & adhuc Saule ſuperſtite, & cum illo ſublato, regnum adiit. Myſtice oratio hæc pertinet ad incarnationem, in qua Pater Filium miſſurus erat veluti manum ſuam, per quam fecit omnia, & auxilium de alto, atque liberaturus potiſſimum de hoſtibus inviſibilibus, qui tamquam filii alieni apoſtataverunt à Deo: Item à viſibilibus intus, foriſque, malis Chriſtianis, & hæreticis, atque aliis infidelibus, qui per impietatem, & improbitatem, tamquã ex patre diabolo nati, alienabant ſe ab eodem Deo, & alios conabantur ab illo alienare. Hilarius videtur ad ſecundum adventum referre, ut per Filium Dei, de quo canitur in alio pſalmo *g*, ſub Patris perſona, *manus mea auxiliabi-*

Senſus loci.
g Pſ. 38. 22

liabitur ei : homo aſſumtus laqueis mortis, & Judicio A iniquæ damnationis, per gloriam reſurrectionis eripia- tur. Petatus Hieron. orationem dirigi vult ad Chriſtum ipſum qui licet inclinaverit cœlos, atque deſcenderit per incarnationem, etiam quum in terra eſſet de cœlo, mit- tebam manum ſuam, quia non recedebat de cœlo, ſcili- cet ut Deus. Alienos filios natos in multis aquis interpre- tatur, qui non manent in una aqua, ideſt, in una fide, uno Baptiſmo, unius Dei orthodoxa, & religioſa profeſſione.

Emitte manum tuam de alto,) Hieron., *extende manum tuam de excelſo.* Sed apud Trevetum, *manus tuas*; quod ſo- nat יויך *javeku.* Chaldaicè, *de cœlis excelſis, Mitti auxilium de ſancto* a, & abſolutè, *mitti de cœlo ad liberandum* b : *mit- tere verbum ad ſanandum* c : præterea *miſericordiam* d, *re- demtionem* e, *lucem, & veritatem* f : item *mittere de ſummo* g, pſalmis præcedentibus dicebatur, ut omittam alias for- mulas, quæ rem malam, pœnamve involvunt. Non intel- ligitur perinde ac ſi avulſa mittenda eſſet manus, ſed quemadmodum expoſuit, ut extendatur, & exeratur. Id quoque valet Chaldæum אושיט *oſcit.* In pſalmo 17. *h*, ſententia ſimilis exprimens rem jam factam. *Miſit de ſum- mo, & accepit me, & aſſumſit me de aquis multis. Eripuit me de inimicis meis fortiſſimis,* &c. Item in ſecundo Regum *i*, paucis mutatis in tranſlatione Latina. Hugo diſtinguit B manum diaboli, hominis, Dei. Primam aſſerit affligere temporaliter, pulſare ſpiritualiter, torquere æternaliter: ſecundam, in otio delectare, bonum operari, ſurſum ele- vari; tertiam, potentem eſſe ad beneficium ſupplicium, præmium. Beneficium ſubdividit in gratiæ, miſericor- diæ, juſtitiæ. Gratiam in eo ponit, ut ejiciat diabolum Deus de corde, protegat in adverſitate, ad ſuavitatem ad- ducat. Per miſericordiam à Deo teneri hominem dicit, ne cadat in tentationem; deduci ambulantem, ne erret in via juſtitiæ, ſuſcipi per unitatem, ut teneat ſolium gloriæ. Be- neficium juſtitiæ ab iſta manu triplex numerat, animam pœnitentem ingravidare, elevare ad contemplationem, viſitare per conſolationem, & exaltare viſitando. De ma- nu Dei, ut potens eſt ad ſupplicium, docet, quod aliquan- do tangit juſtum, ut probet; increpat pigrum, ut exercea- tur, gravat iniquum, ut revocetur; percutit diabolum, ut amplius crucietur. Tandem potentiam in manu Dei ad præmium in tribus conſtituit, ut amplectatur in ſtatu frui- tionis, benedicat in ſtatu remunerationis, exaltet in tem- pore viſitationis, ſive judicii. Aliter Greveus K, miſſam de alto manum ſumit de inſpiratione divina, quæ dici poſ- C ſet Angelus Dei, & comparari cum illo, qui Petrum de carcere liberavit: quam hiſtoriam fuſe tractat ſecundum tropologiam. Sed allegoria manus miſſæ de alto, hoc eſt, de Dei Filio incarnato, placet etiam Ambroſio *l*, qui ſcri- bit viſum noſtrum Prophetam id petere, quum dixit, *fiat manus tua, ut ſalvet me :* præterea Gregorio *m*, qui & il- lum locum ſic intelligit, & ita exponit *manum Dei factam ſuper Ezechielem* n, quoniam incarnationem Unigeniti agnovit. Emitti decuit manum illam, per quam creati re- crearemur, quæ *aperta impleret nos benedictiones* o : quæ *arripiens gladium, & judicium* Crucis nos vindicaret, *ul- tionemque faceret de hoſtibus noſtris* p : quæ merſos aquis miſeriarum ſublevaret, ac ſalvaret *q*; quæ lepram pecca- ti extenſa, tangenſque mundaret *r*; in qua exiſtentes non *tanget tormentum mortis*, vel malitiæ *ſ* : quæ ſuo etiam ta- ctu febres pelleret *t*, cæcitatem *u*, mortem ipſam *x*, au- rium; & linguæ impedimentum *y* : qua *obſtetricante colu- ber educeretur* z. *Extendit* Filius Dei *manum ſuam in cal- ceamentum*, vel *chirothecam*, ut alii legunt *a*; quando induens humanitatem convertit Idumæam, & ſubdidit ſi- bi alienigenas. Poteſt non incommode de hoc pacto intel- ligi, quod *manus Domini erat cum Joanne* b, quia inter Prophetas, primus meruit oſtendere mundo illam carne indutam, & ſuammet manum ſuper illum imponere. Quin etiam accommodatio ſenſu poſſumus contemplari Deipa- ram ſub mortis horis horam, ac ſæpius etiam ante flagita- viſſe emitti manum iſtam de alto, ut eripi poſſet ex his aquis, & aſſumi. Quum prandente Veſpaſiano humana manus illata in triclinium fuiſſet, atque ſubter menſam ſubjecta, reſponderunt aruſpices rerum poteſtatē ad Veſ- paſianum aliquando perventuram: Longe feliciori augu- rio, omninoque certo oraculo, manus impoſitæ ægris valetudinem, rite ordinatis, & poteſtatem ſacroſanctam conferunt. Pacificationis, reſtitutionis, fidei, fœde- ris, felicitatis, pietatis, judicii, proventus hierogly- phica, quæ colligit Pierius *c*, huc facere poſſunt, cujus eſt & illa de Veſpaſiano narratio.

a pſal. 19.3 b pſ. 56.4 c pſ. 106.20 d pſ. 56.4 e pſ. 110.9 f pſ. 42.3 g pſ. 17,27 h ver. 7.2,18 i cap. 22.17

Manus diabolis hominis, Dei diſtinguuntur.

Potentiam in manu Dei in tribus conſtituit Hugo. K ſerm 320

Allegoria. l in pſ. 118. octon. 22 m hom. 2. in Ezech. n cap. 1.3 o pſ. 144.16 p Deut. 32.41 q pſ. 68.2 r Matt. 8.3 ſ Sap. 3.1 t Matt. 8.15 u cap. 9.29. c. 20.34. Joan. 9.1 & ſeqq. x Luc. 7.14. Matt. 9.25 y Marc. 7.33 Luc. 22.51 z Job 26.13 a pſ. 59.10. pſ. 107.10

Senſus accommodatitius.

c lib. 35

Eripe me, & libera me de aquis multis.) Hieronymus, & Auguſtinus in ſpeculo, in quo plerumque videtur uti tranſlatione Hieronymi quantum ad pſalmos, *libera me & erue me.* Vetus Pſalterium, & Auguſtinus hoc loco, *& exime me, & erue me. Aquas*, populos dici uſitata cogni- tio eſt, inquit Hilarius. Id, & nos non ſemel admonui- mus, tum vero in ſimili ſententia pſalmi 17. *d*, exemplis id comprobantes, & de hoc ipſo loco annotant Olympio- dorus *e*, & Elias Cretenſis *f*. Rickelius exponit de homi- nibus malis, tribulationibus variis, dæmonum tentamen- tis. Opponit putatus Hieronymus, ut dixi, hæreſes inter- pretans, fonti viventi unius baptiſmi orthodoxæque do- ctrinæ; quia non ſunt filii ſunt filii Dei, qui naſcuntur in multis aquis, ſed alieni filii ſunt. *Eripi* quoque, *& liberari de aquis multis* moraliter eſt *non peccare in multitudine ci- vitatis* g : *nec ſequi turbam ad faciendum malum* h, *nec al- ligare ſibi duplicia peccata* *, ideſt, propria & aliena; quod cavendum præcipuè regibus, ut Rex David alibi *parci ſibi ab alienis* precabatur *i*, & hoc loco de regibus loqui vide- tur; ſubdens paullo poſt K, *Qui das ſalutem regibus.* Peri- cula magni per *aquas multas* recte Trevetus deſignari notat: quoniam talia pericula expertus fuerat populus in tranſitu maris rubri, & Jordanis. Chaldæus Paraphraſtes B bene declaravit, *eripe me, & libera me de exercitibus ſimili- bus aquis multis.* Quum autem petit eripi, & liberari, ut & infra *de gladio maligno*, petit ne ſubeat iſta pericula. Quo pacto Deipara dici poteſt liberata, & erepta de ori- ginali peccato, ideſt, ne illo umquam inficeretur, prout infecta eſſet, niſi liberaretur, eriperetur. Quod genus li- berationis præſtantius eſt, quam ſi liberata eſſe à peccato jam contracto. Tantum abeſt, ut communior, & melior opinio aſſerens priori modo liberatam, non agnoſcat fru- ctum redemtionis Chriſti in ipſa. De duplici illo genere liberationis ac redemtionis legantur Dionyſius *l*, & Au- guſtinus *m*. Non eſt perpetuum, quod Bongus in opere de myſteriis numerorum notavit, *multa* & *multitudinem* accipi in malam partem. *Pax* quoque *multa* canitur *di- ligentibus Deum* n, & *magna multitudo dulcedinis divina* o, aliaque ſimilia.

d verſ. 17 e in Eccl. c. 11 f in ora. Naziánz. 19. n. 22. g Eccl. 7.7 h Exod. 13.2 * Eccl. 7.8

Cavendum Regibus præcipiunt ne alligent ſibi duplicia peccata.

i pſ. 18.13 K verſ. 3 l de div. nom cap 8 m in pſ. 85 n pſ. 118.165 o pſ. 30.20

De manu filiorum alienorum.) Videtur Arnobius legiſſe *Allaphylorum.* Quæ vox ex Græca ἀλλοφύλων ſumta eſt: hi- que poni ſolent à LXX. pro Philiſthæis: de quibus etiam ſermonem hic eſſe nonnulli probabiliter putant. Sed hoc loco nulla mentio expreſſa de Philiſthæis, nec Hebraicè, C quum dicantur בני נכר *bene nechar*, nec Græcè, quum vocentur υἱοὶ ἀλλοτρίων, nullibi quoque *alienos filioſve alie- norum* pro Philiſthæis legimus, verum *alienigenas.* He- braicè פלשת *peleſchet.* Græcè ἀλλόφυλος. Nec vero refert quod hoc loco dicitur numero ſingulari נכר *nechar*, eſt ſingularis pro plurali. Nihilominus Philiſthæos intelligi per *filios alienorum*, nihil vetat: & *filii alienorum* pro alie- nis accipi poſſunt: & cum Philiſthæis aliæ omnes externæ nationes: alienæ à cultu Dei, ab ipſamet naturæ inſtitu- tione, & magna pars earum ex primo auctore, vel male- dicto, ut Chanaan, vel minus dilecto, ut Eſau, vel ex ma- tre ancilla ut Agar: denique, quas Deus ipſe diu neſcivit, ac pro alienis habuit, *dimittens ingredi vias ſuas* p, ac in ignorantia illa tanta verſari *q*. Poſſunt præterea *filii alie- norum* deſignare fictos amicos, qui ubi rem haud ſatis proſpere geri viderent cum Davide, hoſtibus eum prode- bant. Hac phraſi degeneris à Deo Patre homines & velu- ti ſpurios, & adulterinos vocare Chriſtus ſolet infideles Judæos *r* : & ita etiam Paulus *ſ*, nominat eos, qui ſunt D extra diſciplinam Dei. Cognoſce dicta pſalmo 17. *t* Recte etiam Nicephorus notat *filios alienorum* perinde ſignifica- re homines alienos, ut ſignificant *filii hominum*, homines abſolutè: Euthymius alienos tum à Davide, tum à Deo, propter ſumma eorum ſcelera.

p act. 14.15 q cap. 17.30 r Mat. 12.39 Marci 8.38 ſ Hebr. 12.8 t verſ. 46

Verſ. 8.) Quorum os locutum eſt vanitatem, & dextera eo- rum, dextera iniquitatis.

HOs quos proxime nominaverat *filios alienorum* deſcri- bit, maxime vero tectos, & ſimulatos amicos, non tantum apertos hoſtes. Aperti quidem hoſtes ore, ac ſer- mone arroganti magna grandiaque loquebantur, ſeſe ja- ctando, & comminando; ut Philiſthæi cum Goliath, qui exprobrabat agminibus Iſrael: ſed eorum dextera, dex- tera fuit iniquitatis, aut mendacii; quia infirma, & invalida adverſus Davidem, & alios, auxilio Dei pro- tectos

Senſus loci.

tectos omnis eorum potentia: vel etiam Idolum, ut innuit A Trevetus, eorumdem dextera confectum, & in cujus ip- ſius dextera opeque confidebant præterea, quia contra Iſrael habebant injuſtum bellum, inquit Lyranus. Saul porro de Tribu Benjamin cum reliquis contribulibus ore proprio locutus eſt ſæpe vanitatem, ſive mendacium, to- ties fidem violans, i, ſamque dexteram datam, & pro- miſſiones de non occidendo ac perſequendo Davide: ita ut merito cenſerentur indigni denominatione à *Benjamin*, quod nomen ſignificat *filium dexteræ* : tum ob dictam infi- delitatem; tum quoniam dextera viribuſque abutebantur ad nocendum & opprimendum innocentes. Latius exten- ditur ad omnes impios, improboſque perſecutores Eccle- ſiæ, ac juſtorum ſententiæ, quorum lingua, inquit Proſ- per, à confeſſione veritatis aliena eſt, & dextera eſt illis iniquitas, quia in his quæ injuſta ſunt gaudent, & pravis, tamquam rectis lætantur: &, ut ait Caſſiodorus, dextera eorum potius dicenda ſiniſtra, proſpera æſtimantes quæ- cumque virtuti contraria ſunt. Idem habent Remigius, Haimo, & alii: & id quod rectius videtur, iniquum eſt, ait Pampolitanus. Hilarius ad Judæos applicat, qui di- B xerunt *a*. *Nos non habemus Regem, niſi Cæſarem*, & regem ſæculi, ideſt vanitatis, populus in Regnum æternum ele- ctus, elegit iniquam, ſeu iniquitatis dexteram; affirmat fuiſſe, quæ palmis cædebat Chriſtum, virgis laniabat, ca- lamo collidebat, coronam ſpineam coaptabat, clavo ma- nus, ac pedes figebat, fel aceto admiſcebat, omnia iniqui- tatis opera conſummabat. Putatus Hieronymus, poſtque illum Bruno Carthuſianus interpretatur de hæreticis, qui ſcientiam ſibi promittunt, & erigunt contra creatorem ſuum, ponentes in cœlum os ſuum: opera vero eorum- dem mala ſunt, cumque dexteram ſe habere dicant, toti ſiniſtri ſunt, ita ut *ſtet diabolus à dextris eorum* b. Non eſt dextera eorum pietatis, ait Ambroſius, quæ veſtitum expoliat, & ſive temporalibus, ſive, quod eſt acerbius, æternis opibus nudat.

a Joan. 19.15 b pſ. 108.6

Quorum os locutum eſt vanitatem.) Chaldaicè *juramen- tum vanum.* Si de Saule accipimus, hic juravit, *quia non occideretur David* c : nec tamen deſtitit eum perſequi, vi- tæque illius inſidiari. Alii vertunt: *mendacium*, quod eſt שוא *ſciav* : & poſſet transferri *quorum os eorum* פיהם C אשר *aſcer pihem* : vel *quia os eorum*; *vana loqui.* Eadem prorſus Hebræa phraſi dicitur pſalmo 11. *d* 20. *e*

c 1 Reg. 19.6 d verſ. 3 e verſ. 7

Dextera eorum dextera iniquitatis.) Chaldaicè *lex eo- rum*, &c. quamvis Nebienſis vertat etiam, *dextera*; quod tamen ſignificare non videtur אוריתא *oraitha*, ſed *legem.* Hieronymus & Auguſtinus in ſpeculo *dextera mendacii.* Alii *dextera mendax*; ideſt, quorum dextera non exequi- tur, quod ore conceperunt; & multa temere aggrediun- tur, quæ eadem temeritate facturos ſe glorioſe prædixe- rant. Poſſet id etiam exponi de falſo juramento, quod levata fiebat manu, ut ſcribitur de Abraham *f* : aut de inani promiſſo, quod porrecta manu edebatur, juxta il- lud: *manus* g, *in manu, non erit innocens :* & h *etiam ſi manus ad manum fuerit; non eſt innocens*; ideſt, non erit, aut non eſt impunitus, qui manum manui jungit alterius, conſpirando. Auguſtinus *i*, explanans ex Deuteronomio K, ſententiam, *non præteribis ab omnibus verbis, quæ ego mando tibi hodie, in dextera, aut ſiniſtra, ire poſt Deos alienos, ſervire illis*, & quærens quomodo poſſit intelligi *ire in dex- tera*, qui *poſt deos alienos ierit ſervire illis*, quum dextera in D laude ponatur. Reſpondet allato ſimili loco ex Prover- biis *l*, *non declines in dextera, aut in ſiniſtra*, reprehendi poſteriore loco, qui ſibi arrogat quæ Dei ſunt, non illius gratiæ, ſed ſibi tribuere velle quod rectum eſt: in priore autem, vel terrena loca ſignificari, quia & in dextera, & in ſiniſtra habebant gentes alios deos colentes; aut hoc de Diis alienis ſeparatim pronuntiandum: aut ſi de diis vitandis omnia intelligantur, ut caveatur ne eorum cauſ- ſa, quæ propter fœlicitatem appetuntur, nec eorum, quæ propter infœlicitatem fugiuntur, eat quis poſt illos, & ab iis auxilium poſcat, & conſulat quæ proſint, & placet, ne noceant. Tum præſentem locum noſtrum explicat, ut *dextera iniquitatis eorum*, ſit, qui his rebus opinentur fie- ri hominem beatum, quas & boni, & mali poſſunt habe- re, quod eſt iniquum judicium, nempe eam dexteram pu- tare, ſive loquentium vanitatem; quoniam non eſt bea- tus populus, cui hæc ſunt, ſed *cujus Dominus Deus ipſius*; quæ eſt vera dextera æquitatis, non iniquitatis. Hoc ip- ſum docet ſcribens Macedonio *m*, & oſtendens nec Epicu- ræos, nec Stoicos recte docuiſſe viam ad fœlicitatem. Ait ſancto Spiritu plenum Davidem hic orare eximi de ma-

f Gen. 14.21 g Prov. 11.21 h cap. 16.5 i quaſt. 18. in Deuteron. K cap. 28.14 l cap. 4.27 m epiſt. 5

nu filiorum alienorum, quorum os talem loquatur vani- tatem, ut dextera eorum, dextera ſit iniquitatis, affir- mando beatum populū cui hæc bona inferiora ſuppetant; petere autem ne ab eis in hanc opinionem, atque in pecca- ta impia pertrahatur: denique *dexteram iniquitatis* vocari dicit qui hæc proponunt, quæ ſunt poſtponenda, ſicut ſiniſtræ præponitur dextera; & in quibus, ſi habeantur, beata vita ponenda non eſt, ſed ſubdita debent eſſe, non prælata, ſequentia, non ducentia. Vocat *n*, alibi luci- diſſima verba præſentia loci, quum his quæ ſequuntur, & enodatiſſimum ſermonem, qui non quærat interpretem, aut expoſitorem; ſed miſericordia Dei ita ſint poſita, ut nemo dicat; ecce hoc quomodo voluit, dixit, & pro in- genio ſuo interpretatus eſt, feaſit, ut voluit; ſic ſint po- ſita, ut nemo ſe excuſet, poſita à David, ideſt, à nova vita, à Chriſti vita, quæ per Chriſtum nobis data eſt, in- ſultans veteri hominum, & illis qui in eam ſpem ponunt, & illis, qui adipiſcuntur eam, & in illa gaudent. Dein- de aſſerit *o*, merito alienigenas appellari, ſive alienos, qui totam fœlicitatem non putant niſi præſentem, tum bo- ni, quando illa habent, in ſiniſtra illam habeant, non in dextera, temporalem nempe; perpetuam vero in dextera. Addit cupiditatem rerum æternarum, & fœlicitatis æter- næ non debere miſceri cupiditati rerum temporalium, id- eſt fœlicitatis præſentis, & temporalis; hoc vero eſſe *p*; *ne- ſciat ſiniſtra, quid faciat dextera.* Ad hæc *q*, *dexteram iniquitatis* pro iniquo illo judicio, quod fœlicitas conſiſtat in bonis externis, comparat cum *mammona iniquitatis*, quo nomine divitias Chriſtus appellat *r*. Sed & idcirco ſcri- bit *ſ*, *diabolum* dici *ſtare à dextris* alicujus *t*, (idem vero eſt quod *Satan viſus fuit ſtare à dextris Jeſus Sacerdotis* u, & illum alium alterius pſalmi locum, putatus Hieronym, hoc etiam loco attingit) quum is opera diaboli præponit operibus Dei, quoniam hoc cuiq; non immerito dextrum dicitur, quod præponit, ſicut ſiniſtræ dextera præponitur. Ideo, inquit, & de illis qui ſæculi hujus gaudia præpo- nentes Deo, beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt, re- ctiſſime dictum eſt, *dextera eorum dextera iniquitatis.* Tandem dicenti *beatum cujus Dominus Deus ejus*, affir- mat non diabolum eſſe à dextris, ſed Dominum, & uſur- pare illud poſſe *x*, *providebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi ne commovear.* Hæc ea- dem Auguſtinus fuſe tractat in enarratione pſalmi 120. demonſtrans, quomodo Deus ſit *protectio ſuper manum dex- teram noſtram* y, *læva ſit ſub capite, dextera amplexetur nos* z, *longitudo dierum, & anni vitæ ſint in dextera, in ſiniſtra divitiæ, & gloria* a, *neſcire* debeat *ſiniſtra quid faciat dex- tera* b: *percutere* volenti *dexteram prabeatur ſiniſtra* c. Huc ſpectare præterea poteſt quod obſervavit Drogo *d*, Car- dinalis, impios illos ſatellites in Chriſti *dextera poſuiſſe arundinem* e, quia poteſtas, & regnum impiorum *arun- do eſt vento agitata* f : regnum Chriſti *virga ferrea* g. Ce- terum quamvis nomen *dextera*, ut citari docent, bonum quid importare ſoleat, ut præter æternam fœlicitatem, de qua plures alii, ſeu *vias à dextris* h, humanam etiam bonitatem, *cordiſque intentionem bonam* i, quemadmo- dum Ayguanus diſtinguit, nihilominus quandoque ſi- gnificat carnis propinquitatem, quæ abſcindi debet, *ſi ſcandalizat* K, & mundi proſperitatem, ad quam decli- nandum non eſt *l*.

n ſer. 22. de diverſis, c. 8 o cap. 22

Qui alienigeni dici poſſint.

p Matt. 6.3 q ſer. 25. de verbis Dom. r ibid. ſ in pſ. 108 t pſ. 108.6 u Zach. 3.2 x pſ. 15.8 y pſ. 120.5 z Cant. 2.6 a Prov. 3.16 b Matt. 6.3 c cap. 5.30 d de Paſſ. Dom. e Mat. 27.29 f cap. 11.7 g pſ. 2.9 h Prov. 4.27 i Matt. 6.3 k Mat. 5.29. 30. l Prov. 4.27

Verſ. 9.) Deus, Canticum novum cantabo tibi in Pſalte- rio, decachordo pſallam tibi.

INſerit ex ſingulari quodam affectum pium quoddam promiſſum de cantando cantico novo, inaudito, in- ſolito, eximio, adhibendo ſimul pulſum inſtrumenti muſici perfectioris, ſi conceſſerit Deus quod ipſe antea flagitavit, nempe liberationem ab hoſtium impetu, inſi- diiſque. Myſticè per decachordo inſtrumentum, ad quod cantetur, Euſebius, quem citat Agellius, prætereaque Chryſoſt., Euthymius, Nicephorus, is qui dicitur Baſi- lius, intelligunt vitam ex divinorum præceptorum, quæ ſunt in decalogo, actam formula, tam ſecundum corpus, in quo ſunt quinque ſenſus, quam ſecundum animam, in qua totidem potentiæ, videlicet ut velle illum arbitror, memoria, intellectus, voluntas æſtimativa, imaginati- va, & eadem cum illa; Senſus communis Ambroſ. *m*, mens eadem, qui decem ſenſus homini ineſſe manife- ſtum dicit: ideo Davidem, qui, & foris, & intus canebat,

Senſus loci. Senſus myſticus. m in pſ. 40